ACTA CONVENTUS THORUNIENSIS,

Celebrati Anno 1645.
Menſ. Septembr. Octobr. Nouembr.

PRO
Ineunda ratione componendorũ Diſ-ſidiorum in Religione, per Regnum Poloniæ.

IMPRESSA

Authoritate & Mandato SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS.

Ad Exemplum & Fidem Regij Protocolli.

Cum Gratia & Priuilegio eiuſdem S. R. M. ſpeciali.

VARSAVIÆ,
In Officina PETRI ELERT *S. R. M. Typographi, Anno Domini, 1646.*

Digitized by Google



Digitized by Google

VLADISLAVS IV.
DEI GRATIA REX POLONIÆ,
Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czerniechouiæq́;. Nec non Suecorum, Gotorum, Vandalorumq́; Hæreditarius
REX.

Vniuerſis & ſingulis, Regni Noſtri, Magniq́; Ducatus Lithuaniæ, & Prouinciarum eis adnexarum Incolis.

QVoties cogitamus Europã, partem terrarum nobiliſſimam, armis vbique infeſtam haberi, nouaq́; bella ex bellis in dies enaſci, mirari ſatis non poſſumus, viribus propè laceris exhauſtiſque, penes tot diſſidia hærere, nec

Digitized by Google

adhuc penitus corruiſſe. Non egemus certè ad Chriſtiani Orbis euerſionem alienis odijs, aut vicinâ iuratorum Hoſtium potentiâ; non Aſiæ, Africæq; in noſtrum exitium conſpiratione. Domeſticæ inimicitiæ plus omninò aduerſus communem fortunã poſſunt. Hæc eſt illa ciuilis machina, quæ à fundamentis felicitatem ſubruit, legum vim ad laxa licentiæ iura inclinat, libertatem per aliena profligat arbitria, Reſpublicas in noxiam regiminum formã præcipitat. Hâc impulſæ complures Prouinciæ in ocioſas vicinorum manus ceciderunt; qui ſe interim quiete armorum contra debilitatas diſſenſionibus regiones præparabant.

Quod ne his quoq; calamitoſis temporibus iterum eueniat, non immeritò timent omnes; atque idcirco ad remediorum initia pertinere exiſtimant, DESIDERIVM PACIS. Hoc commune votum Caſtra circumſonat, auditur inter Claſſica, ſtricto ferro quæritur. Hoc miſeri oppreſſiq; gemitibus exprimunt, felices explicato in occurſum amplexu loquuntur. Hoc per Regnorum Arbitros, per Duces Partium, ad Loca conſiliorum, deliberationumque Tribunalia defertur. Ne Nos quidem, quibus Diuinâ Benignitate conceſſum in altiſſimo iuuentæ Pacis ſinu quieſcere, huius deſiderij exſortes ſumus.

Digitized by Google

Experti enim tanti Boni commoda, impenſè cupimus, interruptæ tranquillitatis experimentum ad alios quoq; peruenire.

Noſtra tamen Nos tangunt vehementiùs, impelluntq; in dies, ne quidquam eorum omittamus, quod ad felicitatis conſtantiam aliquid momenti afferre poſſe videatur. Eò ſpectabat facilis erga victos clementia, non inuitus cum promptis in amicitiam deſcenſus, aduerſùs infidos ſocios circumſpecta fœderum vigilantia. Quibus medijs tandem effecimus, vt Regnorum Noſtrorum fines, Ciuium domicilia, ſubſellia Magiſtratuum, ſecuro pacatoq; vultu, Fauſtitas & Pax obambulet.

Vnicum Nos adhuc non leuiter perplexos tenet, quod ad integram plenæ Pacis gloriam, deſit animorum in eandem Religionẽ conſenſio. Sine quo adminiculo nihil vſpiam terrarum ſtabile, aut tutum vnquam fuit. Dum enim circa veritatem conflictus, ſententiarumq; pugnæ vigent, acerbitas quædam mentis initio occupat, tum infeſtæ turbulentæq; lites ad odium vſq; deſæuiunt, tam diu, donec in ſeditionem, vindictæq; cupiditatem tota diſſenſio exeat.

Actum igitur egerunt omnes hactenus, quibus armorum furorem compeſcere ſatis viſum fuit.

Altera enim melior boni fortunatiq; Regiminis Pars, quæ cum ciuili gubernatione vnam Rempublicam componit, præſidio propugnaculiſq; vacua, longè lateq; patentibus oſtijs, deteriores iras in ipſa Regnorũ viſcera admittit. Adeò iam propè nec Ciuem eſſe pleriq; putant, quamuis ijſdem legibus viuat, niſi credendi ſeruitutem ſub eodem alienarum opinionum dominio habeat. Totas igitur quiſq; vires adhibet, vt animum alterius expugnet, captiuumq; teneat in ſuarum inuentionum obſequio. Quod vt tantò fiat validiùs, conuitia, calumniæq; paſsim iactantur; quibus pulchritudo nouæ inſtitutionis oſtendi non poteſt, veteris fabuloſa deformitas obtruditur. Vbi verò eiuſmodi offenſionum cauſæ inter obuias reprehenſiones ſerpunt, vbi nemo ſine infeſto ingenij telo, pauci ſine vulnere Conſcientiæ viuunt, quæ tandem duraturæ Pacis conſtantia ac ſecuritas eſſe poteſt? quid per variam obſtinationem integrum in antiquo iure ſtabit? quid potiùs non diſtrahetur ambitione Partium? quid quæſitis in rem propriam rapinis ſpolijſq; libertatis non conuelletur? Inde omnia in communem fortunam impedimenta, ad labores publicos moræ, in conſilia ſententiaſq; diuerſæ factiones veniunt. Quod dum fit, neceſſe eſt pericula votis pertinacibus foueri, leges

in le-

Digitized by Google

in ſeditionum auxilia trahi, omnia deniq; remedia diſponi ad perniciem.

Hæc tam grauium rerum conſideratio non ſemel animum Noſtrum impulit, vt de potenti quopiã fundandæ Pacis perfectiſſimæ ſtabilimento cogitationem ſuſciperemus. Neque pauca veniebant in mentem, quibus integritas eius abſolui poſſe videbatur. Placuit præ alijs illa inuicem agendi ratio, placidaq; Colloquij de Negotio Religionis diligentia; cuius impetum moderaretur Fraternitas, diſſenſiones charitas temperaret, iras ſuſpenderet modeſtia. Cùm enim videremus vſurpatas priori ſæculo diſceptationes ad acerbitates animorum, aliterque ſentiendi contumaciam valuiſſe idcirco plurimum, quòd nullis cancellis concertatio præiudiciaq; ſtringerentur; ita noſtrum recens inuentum & vix tentatam hactenus concordiæ viam diſponendã eſſe duximus, vt ne pro vno quidem iniuriarum paſſu auerſio haberet ſpatium, abeſſentq; omnia, ad quæ libertas & amicitia poſſent offendere.

Agnouerunt prouidam hanc Noſtræ meditationis ſolertiam, potiſſimùm Equeſtris Ordinis Viri, ſperabantq; fore, vt cura Noſtra omnis in optimum exitũ deſineret. Ipſi Nos audiuimus, cum ad hunc Lydium amicæ Collationis lapidem ſua diſſidia explora-

plorari cuperent, ſemelq́; planè intelligere, quid tandem animos ac Religiones inuicem committeret? quæ cauſsæ factam à Catholicæ Romanæ Eccleſiæ corpore diſceſſionem fouerent? quibus medijs ad vnitatem reditus tentari poſſit? Quæ bonarum mentium propenſio tantò vehementiores ſtimulos Nobis addidit, vt & in ipſis aggreſſionis huius initijs, indubiam boni ſucceſſus ſpem retineremus; & nunc nihil aliud optemus magis, quàm piam hanc laudatiſsimæ promptitudinis operam, optimaſq́; Pacis cogitationes plenè conſeruari.

Neq; enim defuturam exiſtimamus occaſionē, cùm ij etiam animarum Curatores, qui pericula conſcientiarum in Pace, damna fidei in Dogmatum concordia extimeſcebant, Nobilitatis deſiderio ſuſpiciones ſuas varioſq́; metus ſint ſubmiſſuri. Senſim animaduertent & illi, nihil in Inſtructione Noſtra offerri violentum, nihil horridum, nihil bonis mentibus ſuſpectum, quod ad iuſtam formidinem valeat, & pugnet in conſcientias. Is modus agendi in ea eſt præſcriptus, quem arguere is ſolus poſſit, qui charitatem laudare neſcit. Ordo verò ita naturæ & Æquitati conſonat, vt eius euerſionem ſola mediorum Pacis confuſio, intentiq́; finis perturbatio excipere debeat.

Nulla

Nulla in ea Partium aduerſus alteram poteſtas permittitur, quæ in tractando negocio æqualitatem vitiet. Reliquimus cuiuis integrum, quod ab antiqua conſuetudine, quod à veteri nouoq; iure, quod à Sacramenti noſtri Fide habet. Ne libertatem quidem, quam Regni huius gemmam eſſe nouimus, exiſtimandi ſumus imminuiſſe, cùm præſcribendam eſſe colloquendi formam cenſeremus. Quò enim tãdem progreſſa fuiſſet diſceptatio, ſi ſinguli pro ingenij fœcunditate ſuas inuentiones ſuggererent, neq, ab aliena cenſura vellẽt pendere, quidquid in rem communem effinxiſſent: quò excreuiſſet negotij moles, niſi arbitrandi licentiam accomodataq; ad diuerſarum Religionum indolem artificia, vnus in anteceſſum reſtringeret, qui Auctoritate præpolleret? Hic profectò fuiſſet primus ſcopulus, ad quem ſancta Nobilitatis vota proieciſsẽt illi, qui in conſenſu priuatam ſuam prolapſionem immeritò conijciebant. Ad hunc appulſi pij aliorum conatus tamdiu inter colliſos rationum fluctus depugnaſsent, donec planè alternâ reciprocaq; iactatione concuſſi, in ſpumam tandem inutilem tumeſcerent.

Quas ſyrtes, cùm velut è ſpecula à longè deprehendiſſemus, poſuimus certos carceres, intra quos

Digitized by Google

plorari cuperent, ſemelq́; planè intelligere, quid tandem animos ac Religiones inuicem committeret? quæ cauſsæ factam à Catholicæ Romanæ Eccleſiæ corpore diſceſſionem fouerent? quibus medijs ad vnitatem reditus tentari poſſit? Quæ bonarum mentium propenſio tantò vehementiores ſtimulos Nobis addidit, vt & in ipſis aggreſſionis huius initijs, indubiam boni ſucceſſus ſpem retineremus; & nunc nihil aliud optemus magis, quàm piam hanc laudatiſsimæ promptitudinis operam, optimaſq́; Pacis cogitationes plenè conſeruari.

Neq; enim defuturam exiſtimamus occaſionē, cùm ij etiam animarum Curatores, qui pericula conſcientiarum in Pace, damna fidei in Dogmatum concordia extimeſcebant, Nobilitatis deſiderio ſuſpiciones ſuas varioſq́; metus ſint ſubmiſſuri. Senſim animaduertent & illi, nihil in Inſtructione Noſtra offerri violentum, nihil horridum, nihil bonis mentibus ſuſpectum, quod ad iuſtam formidinem valeat, & pugnet in conſcientias. Is modus agendi in ea eſt præſcriptus, quem arguere is ſolus poſſit, qui charitatem laudare neſcit. Ordo verò ita naturæ & Æquitati conſonat, vt eius euerſionem ſola mediorum Pacis confuſio, intentiq́; finis perturbatio excipere debeat.

Nulla

Digitized by Google

Nulla in ea Partium aduerſus alteram poteſtas permittitur, quæ in tractando negocio æqualitatem vitiet. Reliquimus cuiuis integrum, quod ab antiqua conſuetudine, quod à veteri nouoq; iure, quod à Sacramenti noſtri Fide habet. Ne libertatem quidem, quam Regni huius gemmam eſſe nouimus, exiſtimandi ſumus imminuiſſe, cùm præſcribendam eſſe colloquendi formam cenſeremus. Quò enim tãdem progreſſa fuiſſet diſceptatio, ſi ſinguli pro ingenij fœcunditate ſuas inuentiones ſuggererent, neq, ab aliena cenſura vellēt pendere, quidquid in rem communem effinxiſſent; quò excreuiſſet negotij moles, niſi arbitrandi licentiam, accomodataq; ad diuerſarum Religionum indolem artificia, vnus in anteceſſum reſtringeret, qui Auctoritate præpolleret? Hic profectò fuiſſet primus ſcopulus, ad quem ſancta Nobilitatis vota proiecilsēt illi, qui in conſenſu priuatam ſuam prolapſionem immeritò conijciebant. Ad hunc appulſi pij aliorum conatus tamdiu inter colliſos rationum fluctus depugnaſsent, donec planè alternâ reciprocaq; iactatione concuſſi, in ſpumam tandem inutilem tumeſcerent.

Quas ſyrtes, cùm velut è ſpecula à longè deprehendiſſemus, poſuimus certos carceres, intra quos

fas eſſet ſecurè progredi: deſignauimus metas, quibus fœcundiores ingeniorũ excurſus cöércerẽtur: ſatis ſuperq́; monuimus, ne quiſquam ſibi aſſignandi, regendiq́; tramitis fiduciam aſſumeret, niſi qui totius cauſæ optaret naufragium. Noſtra tamen hęc placita noluimus Legem vocari, ne vel obſeruantia, quam apud fideles Subditos repertum iri credebamus, ſub duriore appellatione periclitaretur; vel libertas putaretur offenſa, ſi ipſa ſibi neceſſitatem obſequendi non imponeret. Hâc ratione nihil videbamur reliquiſſe perplexum, aut non ſatis præmunitum, cùm & conſenſus omnium haberet paciſcendi alia poteſtatem, & vel vnius Partis admiſſio Inſtructioni Legis nomen dare pro ſe poſſet. Multò enim æquius eſt ad iuſtiſſimum Principis arbitrium, liberrimaq́; præſcripta ſponte ſe demittere, quàm Partium decretis, in quibus condendis plurimi latent, aut timentur anfractus, non ſatis commodè regi velle.

Nos certè de ſiniſtro totius Colloquij progreſſu concluſimus, vel ex prima à Noſtra voluntate deflexione. Cùm enim vellemus pauca quædam, non ſatis in Inſtructione expreſſa, diei vnius ſpacio definiri, audiremus verò triduum peti ad inueniendas difficultates; menſem autem penè totum in inuentis

tis ac limine nondum incepti operis conteri, quid boni ſperare potuimus?

Facilè Nobis ex vno hoc experimento veniebat in mentem, alios eſſe debere, qui leges ex poteſtate ferant; alios qui latis inſiſtant atq; obtemperent: ne ſi iidem vtrumq; agant, cauſam præiudicio, priuatiſq; affectibus diſcerpant, ſingulaq; ſibi ipſis & non rebus accomodaſſe videantur. Arduum enim eſt diuerſos in finem imprimis eundem, deinde in eadē media conuenire: vix autem poſsibile, nil retineri ex diſſenſione, dum tollendis diſſidijs rationes ab ijs conquiruntur, qui diſſident. Arbitri ad eiuſmodi negocia vtiliores ſemper fuiſſe exiſtimati ſunt, ij potiſſimùm, qui & ius ad quærendam pacem, & ſinceritatem ad ſtabiliendam apud Partes habent.

Neq; tamen hoc loco quenquam contrauentionis reum agimus. Liberum erat Partibus ex arbitrio & pacto leges condere: id enim Inuitatoriis Noſtris permiſimus. Liberum & Nobis, Noſtros animi ſenſus exponere, facem præferre, circumſcribere ingenia cancellis, diuerſarum & pugnantium ſententiarum prælia præoccupare. Nec diffidere poteramus placitura, quæ in opere noſtræ Architectionis magno ac diuturno conſilio in parem omniū Partiū ſortem mirâ temperie conformauimus. Vbi

Digitized by Google

verò ſemel diſplicere viſa ſunt, per Nos licuit ſine crimine non acquieſcere; non tamen licuit contradicente vel vnâ quâpiam Parte noua ſancire.

Certè ſi ad libellam mentis, propoſitiq; Noſtri; Collocutores ipſi voluntates conatuſq; ſuos exactiſſimè temperaſſent, non potuiſſet non fluere Negocium expeditiùs. Non erat mentis Noſtræ, Partes in pugnam committere, id eſt, Diſputationes inſtituere, illis ſimiles, quibus hactenus pro reducenda populorum pace, vix quidquam vtiliter confectum eſt. Præcipuus deſideriorum Noſtrorum ſcopus erat LIQVIDATIO DOCTRINARVM. Iam enim pridē cōpertū Nobis & perſuaſiſſimū eſt, Arcē præſentis Diſſidij eſſe SINISTRAS INTELLIGENTIAS; caput cōcordiæ SINCERATIONEM VERITATIS. Errores, nō quos vnquā docuit, ſed quos docere fingitur vera Chriſti Eccleſia, execrabilē innocentiſſimis populis reddiderunt. Calumnijs, criminationibus, impoſturis perſuaſa eſt Diſſidij neceſſitas. Quod ſi ſemel in conſpectum veniret purioris doctrinæ ſynceritas, ſolo placeret intuitu, & virgineo nitore gratiâq; vultûs in amorē cogeret etiam renitentes.

Fruſtra cogitationes accumulant, & inaniter profundunt deſideria, qui pacem religioſam noſtro ſæculo moliuntur, niſi priùs gnauiter dent operam

vt vin-

Digitized by Google

vt vindicetur vera Religio ab infeſtis cauillis, fabulis, commentis. Nunquam Hæreſis tam fidenti fuit animo, vt cum veritate bellá gereret. Ipſa ſibi fingit hoſtem, ſtramentitios exædificat exercitus, à nullo creditos, à nemine cogitatos delineat errores, ſuperſtitiones, blaſphæmias, idolomanias; & contra has ſomniatas acies molitur bellum, expedit arma, miſcet prælia; & verò etiam victorias palmaſq; refert. Tum verò inſultatur caſtris Dei viuentis, canuntur victoriæ, & veniunt in mendacē triumphi gloriam, qui nec victi fuerunt, nec impugnati. Præclarum ſtratagema! ne victrix veritas ſpacium haberet depugnandi contra errores ſerios, diſtinetur obiecto negotio, cogiturq; totas propè vires impendere, vt à ſe ipſa repellat errores fictos.

Ergò hæc vnica cura ſit eorum, qui pacem profligatam reuocare curant, vt ſemotis omnibus offuciis, genuinæ Partiū Doctrinæ in apertum prodeant, illis palam fatentibus quod affirmant, iſtis nequaquā imputantibus quod negant. Tum verò primùm ſecernatur deartuatus error, fiatq; periculum an ſuſtinere tenebræ valeant fulgorem veritatis?

Hoc enimuerò præcipuum erat in votis Noſtris, atq; in eum finem tantâ curâ ac ſtudio primam in Congreſſu Partium Actionem Liquidationi Doctrinarum

narũ deſtinauimus, diſpertitis exquiſitiſſimè ſingulis eiuſdẽ Actionis Partibus: quæ ſi ijſdẽ gradibus, quibus diſtinctæ erant, ad apicẽ vſq; productæ fuiſſent, tenuiſsemus ſine dubio emolumenta huius operæ, curarumq; Noſtrarum, quibus optare non oportuit maiora.

Sed Nos iam ab initio promulgati Negocii, quo intelleximus varia & immatura circũferri conſilia, non potuimus proſperrimè de eo, quem præconceperamus, exitu augurari. Afferebantur vndequaq; variorum hominũ ſenſa, notationes, cenſuræ, cautelæ, conſilia, atq; etiam integri in publicũ edebantur libri, quibus illi, ſapientiſſimè ſcilicet, conſultum ibant Noſtræ & Chriſtianæ Paci. Ingens verò publicæ rei præſtitiſsent beneficium, ſi maluiſsent ad breue coërcere calamũ, & neq; Nobis præripere florem negocii, neq; deterioribus conſiliis preoccupare meliora, neq; nouas faces veteribus diffidentiis addere. Iam tum minus ſperare cœpimus, quando ſubuereri neceſsè fuit, ne Actores Negocii formã acciperent à Noſtra præconceptione alienam & impreſſis ſemel malè concinnatis ad rem Noſtram rationibus ſuccenturiare nollent meliores.

Sed ex ipſis etiam Inuitatarum Partium primis Reſponſis grauem quibuſdam dubitationem iniectã

fuiſſe

fuiſſe intelleximus, num eâ voluntate animorumq; fiduciâ acceptum fuerit negotium, quâ erat propinatum. Ita enim videbantur compoſita, vt deſperationem ſucceſsûs præſeferrent: quæ proinde deprehenſi ſensûs inſpectio quoſdam permouit, vt iteratam Inuitationẽ Nobis diſſuaderent. Et verò mouebamur non mediocriter grauiſſimis rationibus, quibus fas erat acquieſcere, niſi eouſq; prouectum fuiſset Negocium, vt è dignitate Nominis Catholici & Regii futurum cenſeremus, procedere. Placebat etiam homines non ita faciles ad fiduciam erigere, & credebatur poſſe aſſuetudine nonnihil miteſcere odium Romani Nominis: nec exiguum fore lucrum, ſi vel ſolum rigorem à diffidentia ſeparauerint.

Atq; hunc quidem vberrimum melioris fiduciæ fructum afferre Nobis potuit primum illud Negocii Experimentũ, quod anno citiùs adhiberi oportuit, ſi primæ Indictioni Noſtræ Partes omnes paruiſſent. Ibi enim licuiſſet vultibus inuicem aſſueſcere, penetrare animos, molitiones propoſitaq; obſeruare, condere leges, præuidere moras, difficultatibus obſiſtere, deniq; omnia ita tractare prouidè, vt poſtea res nulla in limine ac progreſſu pios labores ſiſteret. Ea tunc fuit Conſilij Noſtri ratio, quando poſt diuulga-

uulgatum Anno Dñi 1644. vigeſimâ Martij Negocium, Partes vt ad decimam diem Octobris eiuſdē Anni Thorunium confluerent, conuenimus: Præuidimus enim primo Congreſſu ad intimos Cauſæ ſeceſſus deueniri vix poſſe; atq; adeò ſufficere credebamus, ſi tempeſtiuè quæ in ipſo limine obſtare poterant, vtcunque deaſciarentur. Præſenſimus venturos homines ſui Genij, ingenijq; tenaces, & in aliena placita difficiles; timidos etiam & ſuſpicaces, quorum prouentus eſt, nihil agere, cùm omnia volunt agere cautiſſimè: Exteros etiam, qui nihil allaturi erant ex inſito Patriæ Noſtræ amore ad tanti operis curam; in quibus nunquam ſic premi poſſet peregrina Indoles, quin ad ſua fomenta identidem à noſtris declinet. Itaq; conſultiſſimū arbitrati ſumus experimento proludere, & iam tunc explorare ruditer ſenſus Partiū & voluntates; quod ſi prima tentamenta non caderent ex animi ſentētia, maturè, interpoſitis vel collatis conſilijs, viam ad meliora ſternere. His inquam Conſilijs votiſque Noſtris ſi tunc obtemperatum fuiſſet, planiori deinceps & faciliori tramite itum fuiſset in ipſa Cauſæ penetralia.

Præſtiterunt tunc equidem promptiſſimè Catholici, quod volebamus, & ad condictam diem pleno

nume-

numero Thorunium deuecti, in ipſo Vrbis conſpectu pulcherrimum alacritatis ſuæ ſpecimen ediderunt; non puduit tamen quoſdam, fallere Prouincias & Extera Regna, atq; etiam Typis euulgare, adfuiſſe Diſſidentium Oratores, ſolos ad nomina nõ reſpondiſſe Catholicos. Ex quo infami principio, mali ominis prognoſticum acceptum eſt. Ex illa enim turpis figmenti nubecula præuidere ſibi plerią; viſi ſunt formidabiles in progreſſu tempeſtates, quod cenſerent vix fieri poſſe, vt ſecuro curſu enauigemus hoc mare, ſi ipſa littora tam malè Nos ſalutarunt: videri non expectari poſſe tranquillitatẽ Patriæ, ſed Ciuium rixas.

Vtinam verò etiam deinceps reperti non ſint, quibus malè videatur eſſe, ſi Patriæ benè ſit; nec acuant hoc medio pacis nouum diſſidium, aut venenum non parent ex remedio. In eorũ numero eos eſſe ducimus, qui etiam poſt ſolutũ proximũ Thorunienſem Congreſsũ infames in vulgus pagellas ſpargunt, actionum ſeriẽ figmentis, prauiſq; diſsertationibus inuertunt, de ſuo adijciunt maleuolas interpretationes, hoc deniq; vnum agunt, vt non ea ſcribant, quæ acta ſunt, ſed quæ agi voluiſsẽt. Faciunt id illi profectò, ſiue vt falſis rumoribus vitã famamq; ſuſtentent, ſiue vt ſuos mendacijs in errore detineãt.

Digitized by Google

Nos verò exoptamus vnicè, vt omnes intellig āt, libellos eiuſmodi deliria eſse impotentis cerebri, aurium oculorumq; toxica, animorum peſtē, flabella diſsenſionum, turbinē Reipubl. Non patitur hanc debacchandi veſaniam Noſtra Inſtructio, quâ etiā leues iniuriarum Cauſas, minimaſq; offenſas vetamus; non Partium ſanctiones, quibus mutuum honorem ac reuerentiam præſcripſerunt; non veritas aut pax, quarum vtramq; profligatū eunt, qui nobiliſſima hæc cōmunis Boni ornamenta calamis infelicibus calamitoſa eſse volunt; non denique bonæ Cauſæ fiducia, quâ circumſcriptores illi ſi deſtituti non eſsent, prodromos iſtos veteratorios, fabularū mendaciorumq; veredarios veritati non præmitterent, & eandem tam anxiè ab animorum aditu prohibere nollent.

Illi ipſi diuerſarum Confeſſionum ſocij, qui genere, dignitate, conſilio, animiq; moderatione eminent, temerarios iſtos auſus, damnant; & ingenua Nobilitas non benignè (quod cum voluptate audimus) interpretatur conatus iſtos obſcurorum hominum non ſanè ingenuos, nihilq; magis habet cordi, quàm ſordidas has quietis domeſticæ veriq; turbas horrere, perſequi, deteſtari. Quorum ſtrenuā ſynceritatem quemadmodum iuſtiſſimâ laudatione

ad con-

ad conſtantiam prouocamus; ita & cæteros ad parē tranquillitatis noſtræ curam adhortamur.

Nec eſt profectò cur aliquis conſcribendi Negocij prouinciam ſibi vſurpet. Nobis hanc ſollicitudinem in Inſtructione illibatam eſſe voluimus; neq; nunc in conſortium quenquam admittimus. Vidimus Protocolla omnium Partiū, magnâq; fide & integritate in publicam lucem dari, quæuè diſcrepant annotari mandauimus. Inde verò promptum erit agnoſcere, quantùm à veritate abierint, quæ iā rudi aut ignaro Lectori callidè obtruduntur.

Simili temeritati vt deinceps ponamus obicem, ſeuerè pręcipimus, ne vllus in Regnis Noſtris quidpiam tale exprimere typis, aut alibi expreſſum intra Noſtras Ditiones venale inferre audeat, niſi ſua omnia Confiſcationi, ſeipſum arbitrarijs pœnis velit exponere.

Liberas interim relinquimus Confirmationes, aut Confutationes Dogmatum, modò illęſus ſit Collocutorum honor, & intacta Colloquij Authoritas. Quemadmodum enim placidum veritatis cum Falſitate certamen non arguimus; ita Negocij (quod Noſtrum fuit) contumeliam & iniquas hominum actionumq; accuſationes ac impoſturas non patimur, nec impunitas eſſe ſinemus.

pitis, Diſſidia non intueri. Liceat in veſtros animos communiſq; Boni adyta, exponere nobiliſſima Regnorum ornamenta, gloriæ conſtantiam, & ſecuritatem. Veſtris manibus hos ſucceſsus, qui omnium oculos ſub Noſtro Regimine prouocant, elaboraſtis; efficite adhuc mutuo conſenſu, vt Reipublicæ fortunam, pleno Pacis comitatu, inuariatoq; Religionis cultu inſignem Orbis admiretur. Synceritates & Fidelitátes Veſtras benè valere cupimus. Dat. 25. Martij Anno Salutis M.DC.XLVI. Regnorum Noſtrorum Poloniæ XIV. Ssuecciæ XV. Anno.

VLADISLAVS REX.

Locus Sigilli.

Digitized by Google

VLADISLAVS IV. DEI GRATIA REX

Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czerniechouiæq́; Nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarius REX.

SIgnificamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Ex ſpeciali Iuſſu & Mandato Noſtro Regio conſentiendum eſſe & permittendum Honorato PETRO ELERT *Typographo Noſtro, Libros Actorum Colloquij Charitatiui Thorunenſis excudendi, imprimendi, ac in lucem edendi, duximus, prout conſentimus, & permittimus præſenti Diplomate Noſtro: Statuentes ſeuerè, ne quiſpiam in Regno Dominijsq́ Noſtris Typographorum, præter* PETRVM ELERT *Typographum Noſtrum præfatos libros Colloquij Charitatiui Thorunenſis excudere, imprimere, ac in publicum Typis edere ad decurſum ſex Annorum à data præſentium computando audeat & præſumat, idq́ ſub Mulcta Mille Aureorum Hungarica'ium & amiſſione eiuſmodi librorum impreſſorũ. Cuius pœnæ medietas Fiſco Noſtro, altera verò parti læſæ cedet. Eandem pœnam præſenti Noſtro Regio edicto ſubire tenebuntur omnes Externi Typographi & Bibliopolæ, quicunque eiuſmodi libros Colloquij Charitatiui Thorunenſis, in alienis Regnis impreſſos, per Regnum Noſtrum & eius Dominia venderent aut diſtraherent. Quod ad notitiam omnium & ſingulorum Magiſtratuum Regni Dominiorumq́ Noſtrorum deducentes mandamus, vt præfatum Honoratum* PETRVM ELERT *Typographũ Noſtrum circa eandem facultatem ſine vllis impedimentis manuteneant, & omnino conſeruent, manuq́ teneri & conſeruari ab alijs faciant. Secus non facturi pro gratia Noſtra. In cuius rei fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri iuſſimus. Datum Varſauiæ die XIV. Menſis Aprilis Anno Dñi M. DC. XLVI. Regnorum Noſtrorum Poloniæ XIV. Sueciæ XV. Anno.*

VLADISLAVS REX.

Locus Maioris Sigilli.

Iac: Max: Fredro
Referendarius Regni mp.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA THORVNIENSIA.

ANno à Natiuitate Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Quinto, IndictioneDecimâ tertiâ, SS. Dñi Nri INNOCENTII X. Pontificatûs Primo; Regnorum Potentiſsimi, Inuictiſsimi, eiuſq; feliciſsimi VLADISLAI IV. Poloniæ Decimo tertio, Sueciæ verò Decimo quarto, Die vigeſimâ octauâ Auguſti, quæ erat iuxta Gregorianum Kalendarium Feria ſecunda poſt Dominicam XII. poſt Pentecoſten, Diuo Auguſtino Eccleſiæ Doctori ſacra, Horâ circiter octauâ matutinâ in Horologio medio, Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus Dominus GEORGIVS TYSZKIEWICZ Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Mednicenſis ſeu Samogitiæ; ad Colloquium Thorunienſe cum Auguſtanis & Reformatis habendum, Authoritate Synodi Prouincialis Varſauiæ Anno Dñi 1643. vndecimâ Nouembris, & ſequentibus diebus celebratæ, Præſidente

Digitized by Google

Illuſtriſsimo & Reuerendiſſ: Dño MATTHIA LVBIENSKI Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primate, Primoq; Principe, ad præſidendum Theologis in Colloquio Thorunienſi Deputatus, Ad Eccleſiam Sancti Ioannis Baptiſtæ deſcendit, in eaq; Sacris operatus, Miſſam Pontificaliter de S. Spiritu decantauit, ad implorandum Diuinum auxilium, aſsiſtente Prælatorum frequentiâ, præſente Illuſtriſsimo ac Excellentiſsimo Principe ac Dño D. GEORGIO de TECZYN Duce in Oſſolin, S. Rom: Imperij Principe, & Supremo Regni Cancellario, ad preſens Negotium Colloquij pacificè tractandum, & fraternè continuandum à S. R. M. Legato. Quâ finitâ, Benedictioneq; datâ ſolemni, ad locum Colloquio deſtinatum, vnà cum Illuſtriſsimo Principe Legato, Comitatus Eccleſiarum Cathedraliũ, Theologorumq; Deputatorum Coronâ, in Prætorium aſcendit, inibiq; iuxta edicti S R. M. promulgationẽ, & duplicis Epiſtolæ inuitationem, incidente termino conſedit, in Aula maiore Prætorij, locoq; primario dato conſeſſus Illuſtriſsimo S. R. M. Legato, præſentibus Illuſtriſsimis à S. R. M. Deputatis, ex parte Catholicorũ, Illuſtriſsimo D. IOANNE Comite à LESZNO Caſtellano Gneſnenſi; ex parte Reformatorum, Illuſtriſsimo D. ZBIGNEO de Goray GORAYSKI Caſtellano Chelmenſi; ex parte Auguſtanorum, Mag: Dño

D. SIGISMVNDO GVLDENSTERNIO Capitaneo Stumenſi; ſedentibus ad menſam diſtinctam, à parte dextra Catholicorum Theologis, Diſsidentium verò à parte læua Colloquutoribus, Legationem Sacræ Regiæ Maieſtatis, à Sua Celſitudine in hunc modum excepit.

ORATIO
Illuſtriſsimi Domini LEGATI.

REdiuiuum tranquilla veneretur Conſtantinum Polonia. Non vno Maxentio domito, & gloriâ Crucis, vltra Iſtrũ & Tanaim prolatâ, VLADISLAVS Regum Conſtantiſsimus, inter virentia ac florida Almæ Pacis, quæ ipſe plantauit, oliueta, de tam Beata ſemente ſollicitus, tempeſtiuâ curâ eiuſdem indemnitati decreuit proſpicere. Terret, in propria crudelis viſcera, à medio iam penè æuo conceptus, Orbis Chriſtiani furor; quo velut æſtro perciti Conciuium, Cognatorum, imo Fratrum animi, prætextu Religionis & ſacrorum, Religionem euertunt, Sacra profanant, & polluunt, ſanguinem tot Innocentium exhauriunt, Rempubl: Chriſtianam tot Propugnatoribus ſpoliant, & intentis tam luculentæ occaſioni Barbaris produnt & proſtituunt. Valida nempe in animos hominum Religio, eos vel arctiſsima ſtringit compage, vel ſi ipſa ſcinditur, ipſa diſrumpit ac dilaniat; vt ne ipſis quidem naturæ vinculis parcat, quamuis vniuerſo generi humano ſummè venerandis. Illa, quam optimus quiſq; ſe Creatori optimo debere profitetur, Gratitudo non patitur alios cancellos aut ligamenta, præter intentam in id quod

Digitized by Google

ei credit placere, voluntatem: quæ, vt recto proceſſerit tramite, aut ab eo deuiauerit, mortalium mentes, opinionis ſuæ tenaces, vel in ſeipſas armat & acuit. Hinc à communi Chriſtiano nomine & iure exulat, proh dolor! Chriſtiani Amoris & vnionis Communio, & illud ferrum, quo Chriſti propaganda erat gloria, in eius ſæuit membra, imò viſcera. Sola huiuſq; Polonia, prudentiſsimâ Maiorum Noſtrorũ moderatione, tantæ feritatis expers, placidâ tolerantiâ, mutui inter Conciues Amoris affectum, quamuis ſæpè renitentem, retinet ac fouet. Sed hæc vniuerſalis, quæ totam inficit Europam, contagio, an non metuenda? imbibent noſtrorum animi vel ex vicinia, vel vſurpata inter Exteros peregrinantium conuerſatione, peregrina vitia & vti in ſole deambulantibus euenire conſueuit, ſenſim ſe infuſcari haud ſentient. Hinc promanat prouida S. R. Maieſtatis Domini Noſtri Clementiſsimi ſolicitudo, quæ dies noctesq;, cor & mentem Regiam incitat ad procurandam (ſtabilitâ iam politicâ) pacem Eccleſiaſticam; vti nempè vnicam illius Nutricem. Cùm verò Pacis origo, ſit Amor & Concordia, præmiſsâ maturâ Cleri in Prouinciali Sacra Synodo congregati deliberatione, ad hoc charitatiuum & Fraternum Colloquium, Diſsidentes opinionibus in Religione Chriſtiana Subditos ſuos, clementiſsimè euocare conſtituit; Quo (remotis illis acerbitatum altricibus, ſcholaſticis nempè concertationibus) de vero genuinoq; vniuſcuiuſq; opinionis ſenſu, tranquillâ Collocutione diſcent fraternè colloqui, & remotis calumnijs, falſis traductionibus, & impoſturis vnius ab altero abhorrentiam deponere. Quod, vbi proceſſerit, non dubitat S. R. Maieſtas, reliquum genuinæ differentiæ facilius componi, & extinctis odijs, Spiritum illum, qui in turbine non operatur, ſed ſibilo leni inſpirat, & aurâ ſuaui incomprehenſibilis potentiæ ſuæ diſponit, ad illuminanda ſolo Diuini honoris zelo accenſa, pectora prouocari & allici poſſe. His verò præmiſsis, conciliabuntur demum praxes, corrigentur mores,

profli-

Digitized by Google

profligabuntur ſcandala, & vnius ad alterum poſtliminio reuocabitur fiducia. Et ecce breuis deſcriptio ſcopi, ad quem S. R: Maieſtas collimat, quem conſecuturum, quis dubitat? hoc tam frequenti & ad ſecundanda eius vota, tam prono concurſu, quem auxiſset libentiſsimè ſuâ ipſius Præſentiâ, vt ſic demùm, Conſtantini Sarmatici totum nomen impleret, ſi tot diuerſa Regnorum cura vnam Reipubl: partem curare permitterent. Me tamen remotâ tantiſper à communis Patriæ gubernaculis vicariâ manu, ſuas hîc vices curare, & nomen ac omen inferre voluit, vt mutuæ Charitati, Paci, Tranquillitatiq; facem præferrem. Quod dum ego tanti Regis, veriq; Patriæ Patris, nomine ago, adeſte Animis Reuerendiſsime, Illuſtriſsimi, Generoſi, Doctiſsimi, ac Eruditiſsimi Viri, & quo fine ita DEO diſponente in hunc confluxeritis locum, accuratiùs expendite. Hoc nempè illud tempus eſt, beatitudinis Veſtræ, ſi Eccleſiam, & illi ſubditum Orbem, pace beaueritis; hoc tempus felicitatis & gloriæ huius Ampliſsimi Regni eſt, ſi veſtrâ curâ & ſollicitudine, veſtro affectu & Charitate, natu in Eccleſia minori contigerit per Reſtauratam in Eccleſia Pacem primogenitura. Quod ergò beneuertat nomini Chriſtiano, Eccleſiæ & Reipubl: ad opus vos accingite, vbi manuducentem S. R. Maieſtatis Domini Noſtri Clementiſsimi Inſtructionem prælegendam, noſtraq; Legationis fiduciarias intelligetis.

Poſtquàm Illuſtriſsimus Dominus LEGATVS finem dicendi fecit, tradidit fiduciarias Legationis ſuæ Litteras, Illuſtri & Admodum Reuerendo Domino THEODORO ZAPORSKI, Cantori Vladiſlauienſi, Sac: Reg: Maieſtatis Secretario, perlegendas, quarum Tenor eſt:

VLADI-

Digitized by Google

VLADISLAVS IV.
DEI GRATIA REX POLONIÆ,
Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czerniechouiæq́; Necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumq́; Hæreditarius
REX.

Reuerendo, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Spectabilibus, & Eruditis Viris, ad Colloquium Thorunienſe à Nobis indictum congregatis, Sincerè & Fideliter Nobis dilectis, Gratiam Noſtram Regiam.

REVERENDE, MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILES, SPECTABILES, ERVDITI, Sincerè, & Fideliter Nobis dilecti.

NOn poſſemus, niſi congratulari Felicitati Noſtræ, dum poſt tot diſcrimina bellorũ, propulſatis vndiq́; hoſtibus, Soli in alta Regni Noſtri pace, ſpectando, & numerando, mutuas vici-

Digitized by Google

vicinorum Regnorum ac Populorum clades, triumphare videremur, ni in Materno comunis Patriæ ſinu, collidi inter ſe, varietate dogmatum, diuerſa odia, & diſſidia prouocantium, & grauius in dies certamen excitantium, cara pignora tam benignæ Matris videremus. Cui rei mederi, internæq; Paci, quantum in Nobis eſt, conſulere cupientes, Sinceritates & Fidelitates Veſtras, ad hoc Colloquium Charitatiuum conuocandas duximus, ſummoperè deſiderantes, idq; in votis habentes, Fraternus hic Sinceritatum & Fidelitatum Veſtrarũ congreſſus, ſub hoc benigno Sydere Pacis Nobis prælucentis, id componere poſſit, quidquid mutua vota diſtrahit, boni publici ſtudia conuellit, internumq; quod aperto grauius eſt, fouet in Diſſidentibus animis bellum. Quod tam pium inſtitutum, vt eò grauiùs procedere poſſit, cùm ipſi alijs auocemur curis; mittimus ad memoratum hunc Sacrum Sinceritatũ & Fidelitatum Veſtrarum congreſſum, Illuſtrem GEORGIVM DVCEM in OSSOLIN, Sacri Romani Imperij Principem, Supremum Cancellarium Regni, Lubomlenſem, Rycenſem, Adzelenſem Capitaneum Noſtrum, Virum tractandarum rerũ vſu, ac felicitate, ipſo Orbis iudicio inſignem, qui munus Irenarchiæ huius congreſſus Noſtro nomine, eâ

fide,

fide, dexteritate, & prudentiâ obeat & moderetur, quâ ardua quæq; Reipublicæ negocia publico bono tractare, & optato euentu exequi ſolet. Huic itaq; authoritate Noſtrâ deſignato Supremo Præſidi Pacis, vt Sinceritates & Fidelitates Veſtræ ſtudia Sua accommodent, ac in omnibus, quæ ex præſcripto Inſtructionis Noſtræ, de ordine & modo rerum tractandarum, in hoc congreſſu tenendo, propoſiturus eſt, fidem habeant, amanter poſtulamus, ſperamuſq; Sinceritates & Fidelitates Veſtras, tam pio religioſæ voluntatis Noſtræ propoſito, quod publicæ Felicitatis cura, ac ipſa temporum ratio expoſcit, promptũ in vota Noſtra ſtudium allaturas, eóq; intentiones ſuas directuras, quibus, non huius tantùm Regni, ſed & totius Europæ expectationi, vberrimo fructu ac Fidelium omniũ, quos Chriſtianus complectitur orbis ſolatio, ſatisfacere poſſint. Quod ſupereſt, Diuinam Maieſtatẽ oramus, vt vota & molimina hæc Noſtra ſecundando, ea ad optatũ effectum deducat, proſperrimamq; valetudinẽ Sinceritatibus & Fidelitatibus Veſtris, & felices ſucceſſus largiatur. Datum Varſauiæ die XIX. Menſis Auguſti, Anno Dñi M. DC. XLV. Regnorum Noſtrorum Poloniæ XIII. Succiæ verò XIV. Anno.

VLADISLAVS REX.

His

His finitis, ſtatim iuſſu Illuſtriſsimi D. LEGATI, Generoſus D. THOMAS VIEYSKI S. R. Maieſtatis Secretarius, clarâ voce ſubiunxit, Præſcriptum Inſtructionis, ſeu Manuductionis S. R. Maieſtatis, de Ordine & modo tenendo, in Colloquio Thorunienſi, Functionibuſq; Illuſtriſsimorum DD. Deputatorum, vt ſequitur.

PRÆSCRIPTVM INSTRVCTIONIS,
Seu Manuductionis S. R. Maieſtatis,

De Ordine & modo tenendo in Colloquio Thorunienſi, Functionibuſq; Deputatorum, Illuſtri GEORGIO DVCI in OSSOLIN, Sacri Rom: Imperij Principi, Supremo Cancellario Regni, Lubomlenſi, Rycenſi, Adzelenſi, Capitaneo, ac Sacræ Regiæ Maieſtatis ad congreſſum Thorunij celebrandum Legato, datum Varſauiæ die XV. Menſis Auguſti, Anno Domini M. DC. XLV.

1. IN primis, ſcopum quem ſuſcepto negocio præfigimus, Concordiam & Vnitatem Religionis, ac beatam Eccleſiæ Patriæq; Pacem, omnium votis tantopere expetitã, Collocutores præ oculis habeant, & vt aſſequantur, totis animi viribus contendant, remotis aliis omnibus intentionibus, quæ animos aliò, ſtudiaque diuertere poſſunt.

2. Medium quod in eum finem direximus, id eſt, liberum, & amicum congreſſum magni faciant, & quod ſemel libenter amplexi ſunt, ita deinceps tractent, vt neque Nos curarum Noſtrarum (quas paterno prorſus affectu ſuſcepimus) vnquã pœniteat, neque Ipſos pudeat cognitionis, & iudicii, quod expectare debent ab Orbe Chriſtiano Vniuerſo.

3. Rerum Tractationem, Formam, & Ordinem, Moderatorum, & Collocutorum arbitrio committimus; vt Ipſi, communi Partium conſenſu, conſciis Legato Noſtro & Partium Deputatis, de his ſtatuant, ſibique leges dicant: quod ſtatim initio ante omnia alia facere debent, amplexantes magno ſtu-

Digitized by Google

dio ea media, quæ promouere poterunt pacificam & fructuoſam Tranſactionem. Ne verò in præambulis hiſce tempus abſumat, volumus, vt intra ſpatiū vnius diei ſanciantur omnia.

4. Non poſſumus tamen intermittere, quin Noſtrã quoq; mentem & deſiderium, circa Rerum tractandarum Ordinem clementer indicemus. Optamus igitur, vt Collocutores, Tribus generaliter Actionibus, Vniuerſum negotium complecti velint. Ac in Prima quidem inueſtigent quàm accuratiſsimè, propriam & genuinam ſingularum Partium Doctrinã & Sententiam: In altera, de Veritate vel Falſitate Doctrinæ conferant: In tertia, ſi quid circa Praxes & Mores controuerſum ſit, diſcutiant.

5. Primum, id eſt, perfectam totius Doctrinæ liquidationē & Sincerationem permagni facimus; cum compertum Nobis ſit, maximam iam Præſentium malorum cauſam eſſe, ſiniſtras Partiū Intelligentias, & hoc vno fomite, tàm luctuoſum diſsidium in hoc inprimis Regno foueri.

6. Itaque, primam in eo, & exquiſitam Collocutorum diligentiam deſideramus, vt primis Colloquiorum diebus, vnaquæq; Pars, de omnibus & ſingulis Doctrinæ controuerſæ capitibus, ſuam ſententiam, breuibus, ſimplicibus, apertis verbis, & propoſitionibus conceptam, in medium proferat, oppoſitæ Parti eandem recognoſcendã offerat, eidem iam ſcripto, iam viuâ voce explicādæ, elucidandæ, depurandæ, ab imputatis erroribus vel opinionibus vindicandæ, tàm diu inſiſtat, donec cuiuis liquidò & velut in meridiana luce cōſtare poſſit, quid Vnaquæq; Pars reuera docuerit, quidué putetur, vel fingatur docuiſſe. Probationes hîc penitus nullæ admittendæ ſunt, præter eas, quibus oſtendendum erit, hunc eſſe ſuæ vel

oppo-

oppoſitæ totius Partis ſenſum; nec enim hîc agendum eſt, num hæc vel illa Pars verum ſentiat, ſed quid verè ſentiat.

7. Ita procedatur longo ordine ab vno Doctrinæ capite ad aliud, neque citiùs ad diſcuſsionem Veritatis de vllo puncto Collocutores ſe accingant, quàm omnia ſimul & ſingula Controuerſiarū capita, eodem modo liquidauerint. Quod vbi præſtiterint, ſtatim magno ſtudio colligant, ex vnanimi confeſsione Partium ea, quæ repererint verè & contradictoriè pugnantia; & ita omnium oculis ſpectanda exhibeant, vt Vnuſquiſque doctus & indoctus, poſsit vno veluti intuitu, videre & aduertere, quid tandem illud ſit, in quo Catholici & Proteſtantes pugnent, ſibiq́; contradictoriè aduerſentur?

8. Atq; hæc ſola ſit, tum ſequentium in hoc Congreſſu collocutionum, tum (ſi fortè Pax nondum perfectè coaleſceret) futurarum deinceps diſputationum, ſcriptionum, concertationū materia, ſemotis omnibus figmentis, cauillis, criminationibus; imò penitus extinctis funeſtis hiſce odiorum, irarum, infeſtationum facibus & incitabulis. Ita inter ſe conueniant partium Theologi, conſpirent, paciſcantur, ſibiq́; legem dicant, & deinceps bonâ fide ſeruent.

9. Quoad alteram Actionem, quâ de Veritate vel Falſitate alterutrius Doctrinæ diſſerendū duximus, intelligant Omnes, non eſſe, nec vnquam fuiſſe mentis Noſtræ, permittere, vt Partes infeſtis hinc inde diſputationib⁹ ſeſe impetant, à quibus tantoperè abhorremus, vt ne quidem diſputationis nomen, in toto hoc negotio vſurpari vnquā voluerimus. Didicimus enim, experimento vnius ſeculi, interminatas illas argumentorum conflictationes, in maiores ferê rixas deſinere, & poſt longos conatus, vix fieri poſſe, vt Diuina Veritas, ſolidioribus & validioribus firmetur argumentis, quā hactenus firmata eſt.

Digitized by Google

10. Itaq; iis tantùm, quæ ad candidam ſimplicemq; & ſæpè ſæpiùs prælitam Veritatis oſtenſionem & confirmationē ſpectant, ſemel, iterumq; & ad ſummum tertiò in medium productis, non tàm ingenioſis argumentationibus concertare pergant, quàm potiùs prudentiâ, & conſilio diſpiciendum aſſumant, quid ſaluâ Veritate & conſcientiâ præſtare poſsint, ac debeant, vt tantum Eccleſiæ Patriæque reſtituant bonum, Pacem Diuinam & Humanam.

11. Quamuis autem certum Nobis ſit, quibuſuis Religionum diſsidijs, finem difficulter imponi poſſe, niſi præſto ſit animatus Iudex, qui audiri poſsit, & cuius ſententiæ neceſſe ſit acquieſcere; non diffidimus tamen, Pacificam, Fraternamq; collationem, ritè peractam, maximum habituram momentū, ſi abrogatis falſis imputationibus, & ſepoſitis, ſepultiſq; veteribus odijs, vel nouis diffidentijs, integrè & ſincerè iudicare velint. Hæc profectò ſola iam ſupereſt ad Pacem via, quâ ſi nihil proficimus, reſtat Chriſtum non reliquiſſe remedium, rationem & modum, quo conciliari queant Fratres, cum maximè volunt; quo nihil dici poteſt inſulſius, Chriſtianæ Religioni infamius, & Chriſto Regum Regi Optimo Maximo iniurioſius.

12. Tertiæ Actioni Secunda modum menſuramq; ponet. Neque dubium Nobis eſt, facilè de Acceſſorijs conuentum iri, ſi in principali, id eſt, in præcipuis Doctrinæ capitibus itū fuerit in eandem ſententiam. Interim ſtudioſè præcaueri volumus, ne, dum de doctrinæ Veritate diſquiritur, quicquā eorum, quæ ad Praxim, Ordinem, Mores, Legumq; diſciplinam pertinent, importunè inſeratur. Atq; hæc de ordine rerum tractandarum.

13. Circa modum agendi, hæc arbitrio Noſtro ſtatuenda,

& ab

Digitized by Google

& ab Omnibus obſeruanda eſſe decreuimus. Inprimis arceatur longiſsimè, quicquid obeſſe poteſt pacificæ, tranquillæ, fraternæ Tranſactioni. Præcipuè verò caueant Collocutores vehementiam affectuum & verborum, ne quis agat, vel quicquam proferat, quod vel vmbram habeat offenſæ, aculei, cauilli; ſed potiùs ita ſe gerant, vt omnes præſentes abſentesq; intelligant, nihil aliud inſediſſe Singulorùm & Omnium animis, quàm ſinceram & candidam Fraternitatem.

14. Propoſitio Doctrinæ, Declaratio, cæteraq; omnia quæ ſpectare putabuntur ad rei ſubſtantiam, cōcipiantur ſcripto, extra quæ deinceps, cùm oretenus agendum erit, non ſit liberum longè excurrere. Scripta, vbi ab Authoribus ſuis priuatim limata fuerint, deferantur ad manus Noſtri Legati, & Deputatorum; non vt Illi de Doctrina eiuſq; Veritate vel Falſitate iudicent, ſed vt videant, num aliquid inſertum ſit, quod Partem oppoſitam meritò poſsit offendere; quo deprehenſo, moneatur Pars, cui tale quid excidit, vt temperet, corrigat, deleat. Quibus peractis, tradantur cuiuis Parti ſcripta Partis oppoſitæ.

15. Detur vnus dies, vel biduum, vel ad ſummum triduū, quo priuatim Pars vna alterius Partis ſcripta legat, & examinet. Quod ſi qua in re deſiderabitur plenior ſatisfactio, liberū ſit, ſemel vel bis, nouo ſcripto, breui, neruoſo, aperto, mentem explicare: Aut, ſi quæ Pars Colloquium expetat, concedatur intra idem triduum.

16. Pro ſingulis Particularibus Colloquijs, nominari debent Bini tantùm à quauis parte Collocutores, quibus liberum ſit, in vno illo congreſſu interloqui. Nec illi aliundè aſſumi poterunt, quàm ex illo Duodenario numero eorum, quos Vnaquæque Pars initio deputauerit. Reliqui adſint, & taciti audiant.

17.

Digitized by Google

17. De alijs Auditoribus ad Colloquium admittendis, arbitrium erit penes Legatum Noſtrum, hâc lege, vt paucissimi, & nonniſi capaces harum rerum admittantur. Plebs penitus arcenda. E familia præſentium Magnatũ nonniſi bini admittendi.

18. Si quis Collocutor contra vel præter mentem ſuæ Partis, aliquid promeret, Parti non præiudicet, ſed relinquatur locus, mox vel paulo poſt, comunem ſenſum interpretandi, requirente id Partis Moderatore. Id tamen palam & in publico Partium conſeſſu fieri debet.

19. In primo ſtatim Partium congreſſu, nominentur duo ab vnaquaque parte Notarij, & ijdem à Legato Noſtro Partiumq; Deputatis approbentur. Ipſorum erit munus, excipere calamo integrè & fideliter ſingula, quæ in ſingulis Actionibus & Seſsionibus dicentur & agentur: quod bonâ fide ſe præſtituros, palam promittent, interpoſito iuramento.

20. Quicquid ſex illi Notarii, in quauis Actione vel Seſsione ſcripto exceperint, totum illud ad finem actionis vel Seſsionis Partibus præſentibus prælegatur, ab omnibus, tanquàm verè ſcriptum, ratum habeatur, à Moderatoribus Partium ſubſcribatur, annulo ſex Deputatorum obſignetur, & ad manus Legati Noſtri tradatur, Nobiſq; deinceps euulgandum reſeruetur.

21. Durante negocio, nemo quicquam in vulgus ſcripto, vel typo ſpargat, aut aliò tranſmittat, ſiue narrando, ſiue diſputando, ſiue quacunq; aliâ ratione de Rebus, Actis, Dictis, Legibus, Perſonis, Progreſsibus huius Tractationis diſſerendo: Longè verò minùs obtrectando, carpendo, cauillando, aut quâuis aliâ ratione cauſam dando turbarum, offenſarũ, irarum, & quorumuis diſguſtuum.

22.

22. Eodem modo caueatur, ne vel in priuatis congreſsibus, vel in publicis ad populum ſermonibus, vlla penitus mentio inſeratur pręſentis Tractationis. Sufficit intimaſſe, DEVM vt omnes pro bono ſucceſſu impensè orent. Longè verò minus tolerandæ erunt priuatæ in vulgo dę Religione Concertationes & rixæ

23. Poſt abſolutum negotium, nemo quicquam de habitis in eo Actionibus & Collocutionibus in publicũ ſcripto, vel typo edat, quouſque Protocollum, vt vocant, ex voluntate & mandato Noſtro in lucem prodierit. In Publicis autem ſermonibus vel libris, non niſi honorificam totius Negotii, & Perſonarum, quæ interfuerunt, mentionem faciant.

24. Priuſquam Partes Thorunio abeant, diligenter poſtremis Seſsionibus Acta recolligant. Videant quid illud ſit, quod maximè obfuit, & deinceps obeſſe poſsit optatiſsimæ Paci & Vnitati; Et quidquid illud ſit, tantúmne pondus habeat, vt tanto Nos debeat priuare bono; Qua in re ſollicitè & clementer hortamur, tum Legatum Noſtrum, partiumq; Deputatos, & Moderatores, tum Collocutores Ipſos, vt cordatè introſpiciant, quid in re tanti momenti vtiliter conſuli ſtatuiq; poſsit.

25. Toti Tractationi non aliter imponatur finis, quàm ex Vnanimi Conſenſione Partium. Quòd ſi Vna quæpiam Pars aliis contradicentibus recedere, & abire vellet, nequaquam id pro arbitrio facient, ſed rationes ſuæ poſtulationis Legato Noſtro, Partiumq; Deputatis, ſcripto porrigent, qui ex communi conſilio, expenſis hinc inde Partiũ rationibus, recognoſcent, quid conſultius ſit, magiſque conueniens? Et ſi viſum fuerit, rem vniuerſam ad Nos, per literas vel Internuncium quantociùs deferent, & ex Noſtro deinceps ſenſu ac arbitrio de terminando, vel continuando, vel aliâs reaſſumendo Negocio decernent.

Digitized by Google

FVNCTIO.

D D. Deputatorum à quauis parte.

1. Deputati Partium ſex eſſe debent in vniuerſum. Duo Catholici, Duo Auguſtani, Duo Reformati, quorũ hæc erit functio.

2. Adſint toti Tranſactioni, tanquam Teſtes agendorum & dicendorum omni exceptione Maiores.

3. Præſentiâ & authoritate ſuâ, in Publicis, Priuatiſque Partium congreſsibus animos & Actiones Congredientium moderentur.

4. Priuatim vnuſquiſque ſuæ Partis, & poteſtatis Collocutores in officio contineat, obuiando inprimis ſtrenuè, ne quis turbator, aliquid intentioni Noſtræ contrarium, & negotio, boniſque Pacis progreſsibus pernicioſum moliatur.

5. Si quæ difficultas in ipſo negotij decurſu emergat, bonis & pacificis conſilijs, à Legato Noſtro requiſiti, ſuccurrant.

6. Impertinentes Homines à loco Conſeſſus remoueri, & Plebem admonito & adhibito Ciuitatis Magiſtratu compeſci curent.

7. Collocutores pro æquitate foueant.

8. Vrgeant & promoueant executionem eorum, quæ vel Nos ſanciuimus, vel ex Partium Conſenſu ſancita fuerint.

VLADISLAVS REX.

Locus
Maioris
Sigilli.

Iacobus Maximilianus Fredro,
Referendarius Regni. m. ppria.

Poſt

Digitized by Google

Poſt iſtorum omnium, quæ præceſſerunt lectionem, ſic Illuſtriſsimus ac Reuerendiſsimus Dominus Epiſcopus Samogitiæ Catholicorum Theologorum Præſes perorauit.

SAcroſancta Romana Eccleſia, Mater omnium Fidelium, & Magiſtra, diuulſam penéque diſciſſam Chriſtiani nominis Vnitatem, ſemper gemebunda deſiderauit, & hactenus deſiderat, in integrum reſtitui ſtatum. Paribus votis, Sacrum Prouinciale Concilium, non ita pridem in hoc Poloniæ Regno celebratum, expetijt eiuſdem reſtaurationem, dieq́; hodiernâ, ne dum huc congregatus, ſed etiam vniuerſus Clerus, & populus Chriſtianus, quem S. R. Maieſtatis Domini mei Clementiſsimi, complectitur Regnum, continuis precibus ſupplex à Supremo Numine exorat. Hæc vota Pacis, & ſancta totius Cleri deſideria, ipſius Numine imprimis recognoſco à S. R. Maieſtate Domino meo Clementiſsimo, omni ſtudio, omni pietate ac diligentia, Sanctè promoueri; eoq́ue intuitu Amicum & beneuolum præſens colloquium, cum ijs, qui à Catholica vnitate diſſentiunt, ſaluberrimè à S. Prouinciali Synodo, eſſe inſtitutum, zeloſè & indeſinenter inſtante S. R. Maieſtate. Qua in re ſollicitudinem S. R. Maieſtatis Domini mei Clementiſsimi, iam ſuſceptam & ſuſcipiendam, Clerus Catholicus, quâ promptitudine ab initio excepit, eadem animi ſubmiſsione in præſenti recipit; & hoc Sacrum de rebus Fidei Colloquium amplectitur, veneratur, & conſtanter aggredi cupit. Minimè diffidens, quod ſinguli noſtrum, qui ad hoc Fraternum Colloquium promptis Animis, pleno, planeq́ue Fraterno affectu commeauimus pacis accurato ſtudio, quantum noſtrarum erit præſertim partium ac virium, S. R. Maieſtatis Domini mei Clementiſsimi, expectationi & pacis deſiderio reſpondere conabimur: veteribus Odijs ſemotis, nouiſq́ue diffidentijs reiectis: ea nimirum, quæ reſtitutioni Pacis hactenus aduerſari conſueuerunt,

deuitantes: ea verò quæ ad redintegrandam Pacem publicam, ſopiendaque Animorum diſsidia diſponunt, ſectantes, pacificâ & Fraternâ Actione pertractare enitemur. De cætero, Dominus, qui in medio noſtrûm præſens eſt, hæc vota atque Conſilia Sacræ Synodi Prouincialis, hæc optata S. R. Maieſtatis Domini mei Clementiſsimi, ad deſideratum, ſuâ bonitate & miſericordiâ perducat exitum, diuturnam vitam eidem S. R. Maieſtati, felicem omnium Actionum ſucceſſum, in Republ. continuæ Pacis fructum, demum poſt ſera fata nunquam finiendam largiatur ſecuritatem.

Lectæ ſunt deinde Literæ Miſsionis DD. Theologorum Catholicorum, Authoritate Illuſtriſsimi Domini Archiepiſcopi expeditæ, quarum tenor eſt:

MATTHIAS LVBIENSKI

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primuſq; Princeps.

VNiuerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut aliquomodo intereſſe poterit, potiſsimùm ijs, qui ad Colloquium Fraternum, de rebus Fidei, Thorunij inſtitutum, pertinere dignoſcuntur, Salutem in Domino. Cùm Sacra Prouincialis Synodus, non ita pridem celebrata, ſacram Eccleſiaſticam Vnionem atq; Concordiam, in hoc Poloniæ Regno, & annexis ei Prouincijs, læſam ac diuulſam conſideraret;

nec

Google

necnon continuis ſuſpirijs ſupplicibuſq; votis ac precibus, eiuſdem reſtaurationem à Supremo Numine exoraret, hoc ſalutare medium, & ad redintegrandam in negotio Religionis Publicam Pacem, conforme, Diuinâ concurrente gratiâ adinuenit; quod ex ipſiſmet Pacis & Tranquillitatis viſceribus, eſt deſumptum; videlicet Fraternum & Charitatiuum Colloquium. Cui quidem Colloquio, Nos eiuſdem Sacræ Synodi Authoritate, vnanimi conſenſu, à Parte noſtra præfecimus Illuſtriſsimum & Reuerendiſſ: Dñum GEORGIVM TYSZKIEWICZ Epiſcopum Samogitiæ; ſimulq; ad tractandum hoc ſacrum & neceſſarium opus, deſtinamus & deſtinatos eſſe declaramus, Theologos infra ſcriptos, videlicet:

A Sacra Regia Maieſtate, R. P. PREMISLAVM RVDNICKI, Soc: IESV Rectorem Collegij Iaroſlauieñ & Sac: Theol: Profeſſorem. R. P. LAVRENTIVM PIKARSKI Soc: IESV Sac: Theol: Doctorem & Profeſſorem. R. P. GREGORIVM SCHÖNHOF Societ. IESV Sac: Tholeogiæ Doctorem & Profeſſorem.

Ex Archidiœceſi Gneſnenſi, R. P. DAMALEWICZ S. Th: Doct: Canonicum Regularem. R. P. BENEDICTVM BVLAKOWSKI Ordinis S. Franciſci de Strictiore Obſeruantia. Clariſsimum Dñum BARTHOLOMÆVM NIGRINVM S.R.M. Secretarium.

Ex Diœceſi Cracouieñ, A. R. D. CHRISTOPHORVM SAPELIVM Sac: Theol: Doctorem Canonicum Cracouieñ. Adm̃ R. D. IACOBVM VSTIENSEM S. Theol: Doctorem & Profeſſ: Academiæ Cracouienſis, Prępoſitum Eccleſiæ Omnium Sanctorum ibidem,

Digitized by Google

Canonicum S. Floriani. Adm̃ R. D. IACOBVM VITELLIVM Sac. Theol: Doctorem & Profeſſorem eiuſdem Academiæ, Canonicũ Eccleſiæ S. Floriani. R. P. HIERONYMVM A S. HYACINTHO Ordinis Carmelitarũ Diſcalc: S. Th: Doct: Eccleſiæ Cathedr: Cracouien̄ Ordinarium Concionatorem. R. P. ALEXANDRVM à PVERO IESV, eiuſdem Ordinis Sac. Theolog: Lectorem. R. P. STANISLAVM KRZYKOSKI Societatis IESV Theol: Profeſſ.

Ex Diœceſi Vladiſlauienſi, Adm̃ R. D. SEBASTIANVM GROTKOWSKI S. Theol: Doct: Archidiaconũ Vladiſlauien̄.

Ex Diœceſi Vilnenſi, Adm̃ R. D. IOANNEM DAWGIALO ZAWISZA S. Theol: & I. V. Doctorem, S. R. M. Secretarium, Archidiaconum Vilnen̄. R. P. THOMAM KLAGIVM Soc: IESV Collegij Nieſwiſien̄ Rectorem, & S. Th. in Academia Vilnen̄ Profeſſ. R. P. IOANNEM WOLKOWICZ Soc: IESV Theolog.

Ex Diœceſi Poſnanien̄, R. P. NICOLAVM TRZASKOWSKI Soc: IESV S. Th: Profeſ: Illuſtriſsimi & R̄ndiſſ: Epiſcopi Poſnanien̄ Theologum, & per Diœceſim Synodalem librorum Cenſorem.

Ex Diœceſi Plocenſi, A. R. D. PAVLVM POTRYKOWSKI I. V. Doctorē, Canonicum Plocen̄, Archidiaconum Pultouien̄. R. P. SIGISMVNDVM LAVXMIN Sac: Theol: Doctorem & Profeſſ: Collegij Plocen̄ Rectorem.

Ex Diœceſi Varmienſi, A. R. D. FRIDERICVM MEYBOHM S. Theolog: Doctorem, Archipresbyterum Elbingenſem. R. P. IOANNEM RYWOCKI Soc: IESV Collegij Brunsbergen̄ Rectorem.

Ex Diœceſi Samogitiæ, A. R. D. NICOLAVM BLASZKOWSKI S: Th: Doct: Cuſtodem Samogitiæ, Scholaſticum Venden̄. R. P. ADAMVM SOBOLEWSKI Soc: IESV, Illuſtriſsimi & R̄ndmi D. Epiſcopi Samogitiæ Theologum.

Ex Diœceſi Culmenſi, Adm̃ R. D. ANDREAM KESLER I. V.

Digitized by Google

I.V. *Doctorem.* Adm̃ R. P. Fabianvm Myslinski Ordinis *Prædicatorum*, Sac: Theol: Doct: Priorem Conuentus Thorunieñ.

Dantes præfato Illuſtriſsimo ac Reuerendiſſ: Dño Epiſcopo, plenam & omnimodam poteſtatem, ex ijſdem Theologis alios in Collocutores, alios in Subſidiarios, Notarios, Secretarios, & alios Officiales, ad hunc Colloquij Actum neceſſarios aſſumere, & inſtituere; aliaq; quæ negotium huiuſmodi concernunt, faciendi, gerendi, & exercendi, &c. &c. In cuius rei fidem, &c. Louicij VI. Menſis Iulij Anno 1645.

Matthias Lvbienski
Archiepiſcopus Gneſnenſis m. p.

Secuta eſt Oratio Illuſtriſsimi Domini ZBIGNEI *de Goray* GORAYSKI *Caſtellani Chelmenſis à S. R. Maieſtate Præſidis, nomine Partis Reformatæ.*

Illuſtriſsime Domine Legate.

Illuxit tandem, illa bonis omnibus deſideratiſsima dies, cui iure meritiſsimo illud optari poteſt Hæc eſt Dies quam fecit Dominus! illuxit, inquam, non tam ordinario ſolis lumine illuſtris, quàm imperſcrutabilis & admirandæ Diuinæ prouidentiæ fulgens radijs. Quorum potenti influxu, Deus Ter Opt. Max. glorioſi Vncti ſui, Sereniſsimi ac Potentiſsimi Regis Noſtri, ſacrum Cor, magno impleuit pacificæ pietatis calore. Hoc auſpicio, etiam in hoc præſenti conuentu S. R. Maieſtas Dominus Noſter Clementiſsimus, ſacro pectore ſuo excitatum diuinitùs excutit ignem, vt gratiſsimum & ſuauiſsimum Amoris mutui, inter Chriſtianos excitet incendium. Reflectit ab excelſo Maieſtatis Suæ Throno, has flammas; non vt inflammet,

met, ſed vt feliciter conſolidet enorme corpori Chriſtianitatis inflictum vulnus. Ita ferit, vt etiam cicatricem deleat, imò vt aſſueto Triumphis lacerto ſuo Regio, Diſcordiam populorum vno conficiat ictu, quæ non iam per interualla, & ſpiramenta temporum ſed continuo, ferè totum, vt concutit, ita deuaſtat Orbem. Exoptabant videre hunc diem Maiores Noſtri, tum & nos poſteri illorum, quo poſsimus aliquando audiri & euincere, nec illos, nec nos, ne cogitatione quidem, voluiſſe à Communi Sancta Matre, verè Catholica Eccleſia (quam in communibus profitemur Symbolis) diſcedere, neque ab illa vnquam ſeceſsiſſe. Impoſuit ergo S. R. Maieſtas Dominus noſter Clementiſsimus, tot annis calentiſsimi noſtri deſiderij hanc magnam diem: impleuit vota noſtra; ita vt ex copia tanti beneficij, magnam verborum patiamur inopiam. Proinde acſi vereamur, nè magnitudinem gratiæ, tenuitate verborum, imminuere videamur, quæ potius verecundo veneranda eſſet ſilentio: tamen vt ingratitudinis deuitemus notam, quas poſſumus, maximas S. R. Maieſtati Dño N. Clementiſsimo & Patri Patriæ ſuauiſsimo agimus gratias; ſimulq; pollicemur, nos vltimam vſq; ſanguinis guttã, tum & exilitatem facultatum noſtrarum Incolumitati & Dignitati S. R. Maieſtatis, prout debemus, alacriter impenſuros. Proteſtamur etiam, nos omnem in amore veritatis candorem, ad hoc ſacrum adferre negotium; hunc ſolum præfigentes huic glorioſo propoſito ſcopum, vt Pax & Veritas, ſancto & indiſſolubili vinciãtur nexu. Voto hoc tandem & ſincerâ deuoti cordis Acclamatione, Regem & Dñum noſtrũ Clementiſsimũ, tanquã ſalutare Orbis & Patriæ veneramur ſydus. Conſtantino Sarmatico, Auguſto, vita & ſalus; Conſtantinũ Sarmaticum Deus ſeruet in multos annos: Conſtantino Sarmatico, triumphi ſine exemplo; gloria ſine fine, & proſperrimi in hoc Auguſto negocio ſucceſſus; vt totũ hoc, quod ſublimi Regio incepit conatu, vergat & perducat ad maiorẽ Dei gloriã, & magnũ Orbis totius Chriſtiani & Patriæ noſtræ emolumentum.

Digitized by Google

ORATIO.

D. IOANNIS HÛLSEMANNI *Sac. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Witemberg: & Eccleſiaſtæ, Nomine Partis Auguſtanæ.*

SAcratiſsimam Regiam Maieſtatem, Sereniſsimi & Potentiſsimi Principis ac Domini D. VLADISLAI IV. Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Seuerienſis, Smolenſcenſis, Czerniechouienſis, &c. nec non Suecorum, Gothorũ, Vandalorumq; Hæreditarij REGIS, Domini ac Protectoris noſtri Clementiſsimi, animum ſuum verè Regium, victorijs trophæiſq; populorum innutritum, ad Religionis diſsidia componenda applicuiſſe, Regumq; ſolemnibus ſtudijs tantiſper quaſi ſubduxiſſe ſeſe: id verò eſt Princeps & Cancellarie Illuſtriſsime, Reuerendiſsime, Illuſtres, Generoſiſſimi, & Magnifici, Regijq; Præſides, Dñi Benigniſsimi, quod tanquam cœlitùs ad ſe demiſſum, atq; incomparabile beneficium humillimè agnoſcunt & deprędicant, Generoſi ſtatus, ampliſsimarum item Vrbium Delegati, primam puramq; illam Auguſtanam Confeſsionē die 25 Iulij, ſuperioris Sęculi Anno 1530. Inuictiſsimo Imperatori, eiuſq; glorioſiſsimæ recordationis Carolo V. exhibitã, in Maiore & Minore Polonia, Magno Lithuaniæ Ducatu, & Regali Pruſsia Profitentes: Tantum, inquam, beneficium, quo maius homines hominib⁹ impertiri non poſſunt, hoc eſt, tot populorum gentiumque gemitibus & votis expetitum remedium, atque vnica panacea mitigandarum adducendarumq; Chriſtianarum mentium in vnum quaſi horizontem dogmatum ad credendum diuinitùs præceptorum & officiorum mutuo exhibendorum, vel ſaltem ad inflectendos tetricos illos Chriſtianorum aſpectus, vt mutatis tandem quadratis oppoſitiſque vultibus, ſaltem per ſextiles & trigonos ſeſe incipiant mutuo contueri, qui hoſtilibus ſagittis, certe à Regula Chriſtianæ Charitatis non raro

ab lu-

Digitized by Google

abludentibus, hactenus ſeſe mutuum impetiuerunt; hoc eſt, quod prædicti ſtatus, vrbiumque Deputati, pro ligno vitæ habent, abolituro etiam inueteratos animorum morbos, abſterſuro inolitas illas affectuum Amaritudines, vitamque inter Ciues pacatiorem conciliaturo. Venit nempè illis in mentem, verſauit, depreſsit & attulit animum, Salomoneum illud, *Spes, quæ differtur affligit animam*, *Prouerb. 13. v. 12.* ſed lignum vitæ eſt (lignum plurium vitarum ex indole ſermonis ſacri) deſiderium veniens. Afflixit Chriſtianorum Animas, iteratus quidem ſed irritus tamen medendi conatus, ſub Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano II. Rudolpho & Matthia Glorioſiſsimis Romanis Imperatoribus, nec non Diuo SIGISMVNDO Auguſto Poloniæ Rege laudatiſsimæ memoriæ, afflixit, inquam, aſſumptus & reaſſumptus, ſed ſpe ſuâ deiectus medicandi niſus. Nũc, cùm glorioſiſsimus Rex, & feliciſsim⁹ ſuæ gentis Salomon VLADISLAVS IV. deſiderio Chriſtianæ plebis, non nihil protracto, tandem ſatisfacere cœperit, quas meritis poterunt tantis impendere grates? quam vt ſublatis in Cælum palmis à Salomone mutuentur quod Salomoni ſuo nuncupent: Deus da iudicium tuum Regi *Pſal. 72.* & iuſtitiam tuam filio Regis, vt iudicet populum tuum in Iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Aſſumant montes Pacem populo & colles iuſtitiam. Domine in fortitudine tua lætabitur Rex, & ſuper ſalutari tuo exultabit vehementer. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum ſemper. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus bonitatis, pones in capite eius Coronam de Obrizo, pones eum in Benedictionem ſempiternam, exhilarabis eum lætitia apud vultum tuum. Fiat, fiat.

Quemadmodum autem ad Dauidem, pariter & Salomonem, certatim atque agminatim confluebant tum indigenæ, tum exteri; ita promulgatâ glorioſiſsimi Regis VLADISLAI Epiſtola inuitatoria, mirum quantus vbique ardor ſubditorum pariter

atque

Digitized by Google

atque exterorum animos inceſſerit, præueniendi vultum Auguſtiſsimi Regis in benedictionibus, & vel ante ſolis ortum comparendi; tantum atque vnicè vt oſtendant ſe eſſe populum illum Nadaboth ſpontaneum, liberalem, liberamque ſobolem, quæ victori VLADISLAO liberaliter & in ſplendoribus Sanctorum ſeruitura ſit, in die fortitudinis ſuæ. Reliquum eſt vt veſtræ quoque Celſitudini, atque Illuſtribus Generoſitatibus, Illuſtriſsime, Reuerendiſsime, Illuſtres, Generoſi, & Magnifici, Regijque Præſides deuotas, & quantum eniti poſſunt ſummas maximaſq; agant gratias, memorati ſtatus Regni, Prouinciarumque & Vrbium Deputati, ob elocatum impenſumque in Rempubl. (quid Rempubl. dico?) in vniuerſam Chriſti Eccleſiam, tamque præclarum, nullaque vnquam ſæculorum vetuſtate obliterandum veſtrum ſtudium. Quod, vti nunquam inpoſterum abs ſe abiturum ſibi promittunt, factæque propoſitionis Regiæ Authenticam copiam reuerenter petunt, ita fatentur ingenuè non eſſe opus, ſuæ vt Celſitudini atque Illuſtribus Generoſitatibus Veſtris æquiualens iuſtumque laboris precium reddere poſsint. Recipiunt tamen Sanctèque pollicentur, ſe impetraturos apud DEVM, vt quemadmodum Auguſtiſsimi Regis VLADISLAI IV. pietatem in Conſtantini, Valentiniani, Theodoſij, Martiani, Caroli M. Boleſlaorum & Iagellonis, pientiſsimorum Imperatorum ac Regum faſtos cenſuſq;, haud dubiè relatura eſt poſteritas: ſic Veſtra quoq; nomina Frumentiorum, Ædeſiorum, Bacuriorum, Marcellinorũ, Bonifaciorum, aliorumq; pientiſsimorum Comitum, & Proconſulum encomijs exornet & proſequatur: Cæterùm præſentes noſtri Patroni, & Vrbium Deputati, non negligent cùm nomina, tum numerum Theologorum, ad hoc Colloquium abs ſe adductorum, tum etiam futurorum Collocutorum, tum etiam Notariorum, craſtinâ die Illuſtriſsimo Domino Legato, & Præſidibus edere atq; inſinuare.

Digitized by Google

Hac finitâ oratione, ſubiunxit idem D. Hülſemannus, ſe loco Literarum fiducialium, prouocare ad DD. Patronos ſuos præſentes, qui ipſum huic Colloquio ſiſtunt.

Seſsio indicta ab Illuſtriſs: D. Legato in horam octauam ſequ: diei.

SESSIO I.

Vigeſimâ Nonâ Auguſti.

In hac Seſsione, DD. Catholici, Conditiones pro prima Actione, quæ quidem DD. Reformatis eadem die ab illis exhibitæ ſunt Illuſtriſs: D. Legato inſinuarunt; DD. verò Auguſtanis non niſi die 31. Auguſti, & ſunt iſtæ.

CONDITIONES

Propoſitæ à Catholicis pro prima Actione.

1. VT hac Primâ Deliberatione, DD. Diſsidentes de illis ſolis conditionibus vel legibus, agere velint, quæ ſe extendant ad ſolam primam Actionem à S. R. Maieſtate requiſitam, id eſt, ad liquidationem Doctrinæ.

2. Vt publicè conteſtari velint, tam incolæ Regni quàm extranei, ſe omnia integrè & fideliter ſeruaturos, quæ S. R. Maieſtas obſeruari voluit, non tantùm quàm diu intra fines Regni Poloniæ conſtiterint, ſed etiam eiuſdem Regni limites exceſſerint; præſertim, quoad ea, quæ concernunt publicam Scriptorum & librorũ euulgationem; Et pro extraneis faciant cautionem Incolæ Regni.

3. Vt poſt acceptam à nobis, candidam & apertam Doctrinæ noſtræ Catholicæ Declarationem, palàm & publicè recognoſcãt, tanquam verè noſtram; & deinceps nihil aliud nobis imputent, vel adſcribant, nec imputari vel adſcribi inter ſuos patiantur.

4. In congreſsibus, ſtatim vbi moniti fuerint, ad rem accedãt;

non

non præmiſsis vllis omninò præfationibus, digreſsionibus, allocutionibus, & ſimilibus, quibus curſus rerum retardari poſsit.

5. Ad vitandam confuſionem, in Colloquijs, quibus agendum erit de Puncto Doctrinæ, in quo conuenit Auguſtanis & Reformatis, non plures Collocutores deputentur quàm duo, qui agant pro parte vtrâque.

Subſcriptæ ſic: Georgius Tyſzkiewicz Epiſcop. Samogitiæ Præſidens Theologorũ Catholicorũ m. p.

In eadem Seſsione, imò & hora, exhibita ſunt Illuſtriſsimo Domino LEGATO, *poſtulata & deſideria quædam DD. Reformatorum, quorum tenor eſt.*

POSTVLATA
Ratione normæ, & requiſitorũ Colloquij præſentis.

1. AB inuocatione Spiritus Sancti, ordiantur Actiones, & cum laudibus nominis Diuini concludant.

2. Vt ex iuſtis, certis, infallibilibus, communibuſq; principijs procedatur; pro Regula, Norma, Amuſsiq; ſit nobis Scriptura S. rectè ſecundum Fontes Hebræos, Græcoſq; verſa, & iuſto debitoq; modo intellecta ſeu explicata.

3. Ad illuſtrationem locorum ſeu Dictorum Scripturæ, quæ vel obſcuritatis, vel ambiguitatis aliquid habere videbuntur, admittatur quoq; piæ vetuſtatis, ſæculorum primorum trium poſt Apoſtolos teſtimonium; pro certo tamen & indubitabili non habeatur, niſi ex genuinis, indubitatis, & incorruptis documentis erutum ſit; & conſenſu manifeſto, atq; demonſtrato roboratum compareat.

4. Quidquid vel diuinarum literarum Dictis, vel primæ Antiquitatis teſtimonijs, probationis ergo admittendum fuerit, id probationis vim habeat, vel ex verborum ipſorum ad theſin propoſitam congruentia; vel ex verborum phraſiumque, ſeu Dictionũ,

Digitized by Google

manifeſta, & euidenti in ſenſu æquipollentia; vel ex certa, bona, & aperta Conſequentia.

5. In Probationibus obſeruetur forma Rationalis, qualis locum habere intelligitur in ijs, quæ vel per teſtimonia, vel per ratiocinationes, & argumentationes probari ſolent.

6. Ad probandum obligatus ille neceſſario tantùm cenſeatur, qui, quod affirmat, ab alijs neceſſariò credendum, agnoſcendũq;, & tenendum ſtatuit.

7. In Reſponſionibus & Refutationibus, directa ratio teneatur, vt quod negandum venit, negetur; non per diſtinctiones quaſdam imperceptibiles, aut nullo modo probabiles probationes, ſeu Argumenta elidantur.

8. Alternationes inter Collocutores, iuridico modo congruant, vltra tamen triplicam non procedatur; cum res ad tot gradus deducta ſatis patere queat.

9. Quæ Pars id quod affirmat in probando, & ab aduerſa Parte ſanctè credendum approbandumq́; cenſet, deficere fuerit deprehenſa, agnoſcat ſe id alteri non obtrudere poſſe; multo minus, eã, propterea condemnare, aut Hæreſeos, vel Anathematis ream pronunciare.

10. Vt inter Partes De Titulis, quibus Colloquentes inter ſe vti debeant, conueniat.

Subſcripſit Ioannes Bithnerus ſuper-Attendens Eccleſiarum Maioris Poloniæ Reformatarum, & Collocutorum à Parte Reformatorum Præſes.

Sequuntur Deſideria DD. Deputatorum ex Parte Reformatorum.

DESIDERIA NOSTRA.

Circa Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis Præſcriptum Inſtructionis ſeu Manuductionis De Ordine & Modo in Colloquio tenendo.

Quod

QVod S. R. Maieſtas monet, de Binis Collocutoribus, vt ſolis illis in congreſſu interloqui liberum ſit, deſideramus hoc etiam addi, vt, antequam ad Propoſita reſpondeant, imò etiam in ipſo Actu Collationis, temporis aliquid iiſdem concedatur, ad ſententiam Collegarum ſuorum ante exquirendi, adeoq; nil, niſi ex eorum conſilio, & conſenſu reponendi.

De Protocollis id deſideramus. 1. Vt ſingularum Confeſsionum Collocutores, ſingula etiam obtineant exemplaria, ſubſcriptionibus ſigilliſq; Præſidum, vtrorumq; tam Regiorum quàm à Conſenſu delectorum communita. 2. Vt peracto Colloquiò Protocolla eadem, intra ſemeſtre, in publicum edantur.

De ſolutione Colloquij deſideramus, vt abſoluatur illud, atq; ad finem, quem iam ſub præſente ſtatu cum Deo bono ſortiri poterit, intra Hebdomadarum quatuor interuallum deducatur, quo exacto ex S. R. Maieſtatis voluntate & præſcripto dimiſsio fieri queat.

Subſcripſerunt: Zbigneus de Goray Gorayſki Caſtellan. Chelmenſis M. ppria.
Stanislaus Droboiowſki M. ppria.

His peractis, cùm è priuatis conclauibus egreſsi, in Aula maiore Thorunienſis Prætorij, in præſentia Illuſtriſsimi D. Legati, & Illuſtriſsimorum ac Magnificorum DD. Deputatorum, DD. Collocutores conſediſſent, Hymno Veni Creator Spiritus, *Verſiculoq; & Oratione, De Spiritu S. Ab Illuſtriſsimo & Reuerendiſs: Dño Catholicorum Theologorum Præſide (quem omnes alij præſentes voce & genuflexione ſecuti) præmiſsis: vnaquaq; Pars, electos pro connotandis fideliter Actis, ad præſtandum iuramentum præſentauit. Ex parte Catholicorum electus Adm. R D.* Fridericvs Meybohm *Archipresbyter Elbingenſis, & R. P.* Thomas Klagivs Soc: Iesv *Rector Nieſuiſienſis, in manibus Illuſtriſsimi & Reuerendiſs: D. Præſidis ſui, ad*

Digitized by Google

ſancta Dei Euangelia; *Ex parte profitentium Auguſtanam Confeſſionem, D. M.* IOACHIMVS GÖBELIVS *Paſtor Vilnenſis, & D. M:* IOANNES HOLFELDIVS *Paſtor Leſnenſis.* *Ex parte Reformatorū,* *D.* CHRISTOPHORVS PANDLOWSKI *Delegatus ex Diſtrictu Belſenſi, & D.* BENIAMIN VRSINVS *Delegatus ex Maiore Polonia, in manibus Illuſtriſsimi D. Legati S. R. Maieſtatis, corporale Iuramentum praſtiterunt. Cuius Tenor eſt.* Ego N. N. ea omnia, & ſingula, quæ in ſingulis præſentis Colloquij Actionibus dicentur, & agentur, fideliter connotabo, & in debitam redigam formam, nihil addam vel minuam, quod rei ſubſtantiam poſsit immutare. Durante Colloquio omnium trium Partium Acta eiuſdem, nec verbo, nec ſcripto, nec typo, nec alio quouis modo diuulgabo. Sic me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia.

Poſt hæc D. Magiſter Göbelius, nomina Theologorum & Collocutorum ex parte Auguſtanorum publicè recitauit in hunc modum.

CATHALOGVS THEOLOGORVM

Eccleſiarum, Maioris Poloniæ, Magni Ducatus Lithuaniæ, in ſpecie, Vilnenſis & Caunenſis, nec non Eccleſiarum Thorunienſis, Elbingenſis, Gedanenſis, Mariæburgenſis, Thorunij iam præſentium.

1. IOANNES HÜLSEMANNVS S. Theologiæ Doct. P. P. & Eccleſiaſtes in vniuerſitate Vitembergenſi. 2. IOANNES BOTHSACCVS S. Theol. Doct. & Paſtor Eccleſiæ Parochialis Marianæ apud Dantiſcanos. 3. ABRAHAMVS CALOVIVS S. Theol. Doctor, eiuſq; Profeſſor P. Gymnaſij Rector ad S. Trinitatem Inuariatæ Confeſsionis Auguſtanæ Paſtor apud eoſdem. 4. PETRVS ZIMMERMANVS Senior Miniſterij Thorunienſis. 5. Magiſter BALTHASAR VOIDIVS Senior Miniſterij Elbingenſis. 6. IOANNES MOCHINGERVS ad B. Catharinæ Ædem Paſtor & Eloquentiæ P. in Gymnaſio Dantiſcano. 7. Magiſter IOANNES FABRITIVS Eccleſiæ Bartholo-

tholomæitanæ Paſtor apud eoſdem. 8. NICOLAVS NEVSERVS Paſtor Neopoleos Thorunij. 9. DAVID HOLSTIVS Paſtor Elbingenſis. 10. Magiſter IOACHIMVS GÔBELIVS Paſtor Germ Eccleſ: Vilnen: inuariatā Auguſtanam Confeſsionē profitentis, Scholæq; inſpector. 11. Magiſter IOANNES HOLFELDIVS Eccleſiæ Leſznenſis Inuariatæ Auguſtanæ Confeſsionis Paſtor, & Miniſterij eiuſdem Confeſsionis in Minori Polonia Conſenior. 12. Magiſter HENRICVS RVHELIVS Paſtor Eccleſiæ Suercenſis, Inuariatæ Auguſtanæ Confeſſ: P. & Miniſt: eiuſdē Confeſſ. in Maiori Polonia Conſenior. 13. MICHAEL SCHELLENBERGERVS. 14. MICHAEL BRICHNERVS, Symmiſtæ Thorunień. 15. IOANNES PVDORIVS Paſtor Auguſtanæ Confeſſionis Strasburgenſis

Quod ſi plures Theologi Auguſtanæ Confeſsionis acceſſerint, vt certa ſpes eſt, acceſſuros ex Ducatibus Pruſſiæ & Curlandiæ ex illorum numero etiam hic numerus augendus erit.

Interea pro Collocutoribus in futuro Colloquio deputantur ſex ſequentes. 1. IOANNES HÜLSEMANNVS Sacræ Theol. Doctor. 2. IOANNES BOTSACCVS Sacræ Theol. Doctor. 3. ABRAHAMVS CALOVIVS Sacræ Theol. Doctor. 4. PETRVS CIMMERMANVS. 5. IOANNES MOCHINGERVS. 6. Magiſter IOANNES FABRICIVS.

Sed cum expreſſo hoc reſeruato. 1. Vt Aduentantibus pluribus Auguſt. Confeſſionis Theologis, numerum iſtum ſenarium non ſolùm augere, ſed etiam præſentibus Collocutoribus, vni vel pluribus alijs ſubſtituere liceat. 2. Durante numero ſenario Collocutorum Auguſt. Confeſſ. etiam numerus Collocutorum ex parte Catholicorum intra ſenarium conſtituatur, quoties cum Auguſt. Confeſſ. Parte agendum eſt.

Nomina Theologorum Partis Reformatæ ſunt iſta.

NO-

NOMINA THEOLOGORVM
Ex parte DD. Reformatorum
Ad Colloquium Charitatiuum Thorunienſe Delegatorum.

A Sereniſsimo ELECTORE Brandeburgico, IOANNES BERGIVS Sac: Theologiæ Doctor, Conſiliarius Electoralis, Eccleſiaſtes Aulicus. FRIDERICVS REICHELIVS Sac: Theologiæ Doctor, & in Academia Francofurtana Profeſſor Publicus.

Ex Maiori Polonia, IOANNES BYTHNERVS Superattendens Eccleſiarum Reformatarum Maioris Poloniæ, & Theologorum partis Reformatæ Præſes. GEORGIVS VECHNERVS Sac: Theologiæ Doctor. IOANNES COMENIVS Senior. IOANNES FELINVS Cōſenior. BENIAMIN VRSINVS Delegatus & Notarius pręſentis Colloquij ex parte Reformatorum. GEORGIVS GLENIG.

Ex Minori Polonia, THOMAS WEGIERSKI Superattendens Eccleſiarum Reformatarũ Minoris Poloniæ. PAVLVS BOCHNICIVS Eccleſiarum Diſtrictûs Rufsiæ Senior. ALBERTVS WEGIERSKI Diſtrictûs Cracouienſis Senior. ANDREAS WEGIERSKI Diſtrict. Lublinenſis Senior. GEORGIVS LÆTVS Diſtrictûs Rufsiæ Conſ. SAMVEL PLACHTA Diſtrict. Rufsiæ Conſenior. CHRISTOPHORVS PANDLOWSKI Delegatus Diſtrict. Belzen. & Notarius præſentis Colloquij à Parte Reformatorum. IOANNES LÆTVS Diſtrictûs Cracouienſis Delegatus. DANIEL STEPHANVS Diſtrictûs Sendomirienſis Notarius.

Ex Magno Ducatu Lithuaniæ, NICOLAVS WYSOCKI Eccleſiarũ Diſtrict. Podlachiæ Superattendens. ANDREAS MVSONIVS Eccleſiarũ Diſtrict. Nouogrodieñ Superattendens. REINOLDVS ADAMI V. D. M. Aulæ Radziuilianæ à Sacris, & Scholarum M. D. L. Viſitator. APOLLOS STYRZYNSKI Paſtor Eccl: Wegrouieñ.

Ex Boruſsia, IOANNES CÆSAR ab Illuſtriſsimo Dño Palatino Pomeraniæ Delegatus. IOANNES EPISCOPIVS Illuſtriſsimo Dño

Pala-

Digitized by Google

Palatino Pomeraniæ à Sacris, ab eodemq; Delegatus. DANIEL KOPECKI Illuſtr: Capitanei Stumeñ Concionator Aulicus.

Beniamin Urſinus Notarius Partis Reformatæ m. p.

Tandem cùm DD. Auguſtani iuxta Inſtructionem S. R. M. pro prima Actione, Conditiones nullas hâc Seſsione redderent, ob infirmitatem Illuſtris ac Mag: D. Guldenſternij, à S. R. M. ex parte Auguſt: Deputati, Illuſtriſs: D. Legatus cauſam hanc iuſtam eſse admiſit, & declarauit, Seſsionem ſoluit, futuroq; Conuentui horam octauam in craſtinum aſsignauit.

Acceſſerunt poſtea Theologi Auguſtanæ Confeſsionis.

LEVINVS POVCHENIVS Sac. Theol. Doct. & Profeſſ. Publicus in Academia Regiomontana, & Electoralis Aulicus Eccleſiaſtes. MICHAEL BEHMIVS Sac. Theol. Doct. & Profeſſ. Pub. ibidem. CHRISTIANVS DREIERVS S. Th. Doct. & Profeſſ. Pub. ibidem. M. PAVLVS EINHORNIVS Paſtor Germanicus Mitouieñ. & Superintendens Eccleſiarũ Curlandiæ. M. HERMANNVS TOPPIVS Paſtor Derbaneñ Curlandicus. SEVERINVS ROSENTRETTERVS P. Eccleſ. Graudentinæ. IOANNES MÜLLERVS Paſtor Eccleſiæ Dirſchauieñ. IOANNES RVNDORFF Paſtor Starogardeñ & Raudeñ. Eccl. IOANNES MALENDORFF Paſtor Meueñ. MICHAEL FVSIVS Paſtor Schöneceñ. M. GEORGIVS HISCVS Paſ. Fridlandeñ. GEORGIVS MELCHIOR GERNHEVSERVS Paſtor Coniceñ. SAMVEL HENTZKOVIVS Paſtor Eccleſiæ Hammerſteinenſis.

Trigeſimâ Auguſti.

Seſsio nulla fuit ex eo quod Illuſtriſsimus Dominus Legatus, ad Poſtulata DD. Auguſtanorum, in trigeſimam primam Auguſti differendam cenſuiſſet.

SESSIO II.
Trigeſimâ primâ Auguſti.

In hac Seßione DD. Catholici Poſtulatis & deſiderijs DD. Reformatorum reſponderunt in hunc modum.

Reſponſum ad Poſtulata DD. Reformatæ Eccleſiæ.

QVoad Primum, Factum iam eſt, & deinceps fiet.

Quoad 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. agendum erit, cum ad ſecundam Actionem, iuxta S. R. Maieſtatis inſtructionem, ventum fuerit.

Quoad 10. Dabuntur Tituli, quos tum S. R. M. in Inſtructione & literis ſuis, tum ipſa pars inſinuat, videlicet, DD. Collocutores.

Ad Deſideria, quoad 1. Satis prouiſum eſt, omni periculo in ipſa S. R. Maieſtatis inſtructione § 18.

Quoad Protocolla. Non eſt res noſtri Arbitrij; cùm, S. R. Maieſtas in ſua Inſtructione, palam ſuam voluntatem patefecerit.

Quoad Diſſolutionem Colloquij, ſtandum putamus voluntati S. R. Maieſtatis in literis, in hunc modum expreſſæ: Meta Colloquij, aut citius occurret, ſi vacuo hoc tempore plus diſceptationis, & inutilium tricarum ſepoſitum fuerit; aut poterit proferri, vt ad inſtruendum labori veritatiq; amplius aliquantum liceat.

Subſcriptum. *Georgius Tyſſkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ, m. p.*

In eadem Seßione, oblatæ ſunt Conditiones Præliminares, ab ijs qui Auguſtanam Confeß. profitentur, quæ tales fuerunt.

CONDITIONES PRÆLIMINARES

Quas ad ineundum & proſequendum Colloquium Charitatiuum, in Vrbe Thorunienſi iam inſtitutum, cùm debita Reuerentiæ præfatione, petunt Proceres & Theologi præſentes, Abſentiumq́ Deputati, Inuariatam Auguſtanam Confeſſionem profeßi.

1. Ini-

1. Initio ea omnia, quæ S. R. Maieſtas, in literis Vniuerſalibus & reſponſorijs Conuentui Orlenſi datis, ex paterno prorſus Affectu, vereq́; Regio Iudicio definiuit, promiſitq́;, & ſanxit, humillimo obſeruantiæ cultu amplectimur; ijſq́; in vniuerſo hoc Negotio confidenter innitimur.

2. Quocirca ſolenni proteſtatione, illud præcauemus, 1. Ne comparitio hæc noſtra alio vnquam nomine habeatur, aut allegetur, quàm quæ in Honorem S. R. Maieſtatis, & ex ſubiectiſsima Deuotione, aſſurgendi ſanctiſſimo ſuæ Maieſtatis Zelo præſtetur. 2. Vt nihil eorum, quæ in Præſenti Colloquio ſuſcipiuntur, vllo pacto in præiudicium Confœderationum, Priuilegiorũ Immunitatum, & libertatis noſtræ iurium, & comprimis liberi Religionis Inuariatæ Auguſtanæ Confeſſionis exercitij ſanctiſsimè confirmati, trahatur. 3. Minimè etiam Acta & actitata huiuſce Colloquij, alijs cuiuſcunq; Partis Eccleſijs, vlla præiudicij ſpecie, quidquam derogatura, aut eaſdem vllatenus prægrauatura. 4. Excludendã adeo ab hoc Charitatiuo Colloquio, quoad Partes, earumq́; Aſſiſtentes & geſta, ex eodem enaſcitura, omnem Iuriſdictionem, tàm Ciuilem quàm Eccleſiaſticam; ne ſiue nunc, ſeu vnquam vlla Actio inſtitui, aut citatio decerni in eas, vel eos queat, qui ad hoc Colloquium acceſſerunt.

3. Porrò rogamus, ea quâ par eſt reuerentiâ; tradi hinc inde à Partibus mutuas aſſecurationes, quibus ſanciatur, omnem de cætero Seſsionum Indictionem, conſenſu partium definiendam eſſe, omnemq́; Actionem proſecutoriam Colloquij fore irritam, cuius inſtitutioni, deeſt de præſenti euidens æqualitas Præſidum, Collocutorum, & Notariorum, ſiue etiam ſecuritatis, libertatis, & loci ad proponendum, declarandum, defendendum, excipiendum, opponendum, negandum, replicandum, duplicandum, triplicandum, quadruplicandum, reaſſumendum, reuidenda & conferenda Protocolla &c. Quantum Partes ipſæ, & vna quælibet earum, neceſ-

ſarium iudicabunt, adeò vt per enumeratos defectus, cùm vniuerſos, tum ſingulos, tota actio ſuſpendatur.

4. Nihil omnino admittendum erit in Colloquio Charitatiuo, quod alicuius imperij, & ab vlla in alteram partem ſibi arrogatæ Superioritatis ſpeciem præſeferat.

De cætero circa Scopum Attendimus.

Poſt certificationem Diuinæ veritatis, de credendis & faciendis, Pacem & Concordiam Eccleſiaſticam inter Diſsidentes Regni Ciues, vnicè ac religioſsimè reſpiciendam eſſe. Quæ autem media ad hunc Scopum non videantur facere, ea communi Partium conſenſu ab Actione remouenda eſſe.

2. Circa Proceſſum.

Et Quidem formandum Controuerſiæ ſtatum.

1. Non videtur expedire, vt ſub ingreſſum Colloquij, ſtatus omnium Controuerſiarum, de omnibus & ſingulis Articulis Fidei, ſimul & ſemel formetur, & ad diſputandũ exponatur. 1. Quia directè non influit in Scopum vnionis à S. R. Maieſtate intẽtum. 2. Eſt contra naturam tranſactionis, qualis non ſemel ab altera parte deſideratur; nec enim ſolent in tranſactionibus cumulari quæſtiones controuerſæ ſimul & ſemel, ſed ab vna & altera Principaliori proceditur ad alias, & attenditur, quouſque in vna vel altera promoueri negotium queat.

2. Si tamen vrgeamur ſynopſim Controuerſiarum ſimul & ſemel edere, oportebit DD. Catholicis initio explicare, in quibus Articulis petant Auguſtanæ Confeſsionis conſenſum? quia ſunt primi inuitantes ad Tranſactionem. Quapropter æquum eſt, ipſos facere initium determinandi Articulos, circa quos conſenſum noſtrum expetant; quot, qualeſq; Articulos Fidei, pro ſuis habeant: Cum primis, quia aliunde numerus Controuerſiarum præſumi non poteſt, quàm ex præſenti dinumeratione. Quandoquidem

non

non ſatis conſtat vtrum controuerſarum Quæſtionum numerum ab Italis, Hiſpanis, Gallis, Belgis, Germanis determinatum rati habeant Poloni? neq; etiam Scriptores harum terrarum, per quos iſte numerus definitus fuerit, nobis in promptu ſint: Nec deniq; conſtet, vtrum reſtringant, numerum Quæſtionum controuerſarum, & veritatum Theologicarum, ad Definitionem Concilij Tridentini, iuxta interpretationem celebriorum Scriptorum è Soc. IEsv, quam vocant.

3. Quoad noſtram Sententiam attinet, prouocamus ad Inuariatam Auguſtanam Confeſsionem, ſpondemuſq; poſtquàm DD. Collocutores Catholici, omnes & ſingulos Articulos affirmatiuos & negatiuos, Fidei & morum, diſertè nobis explicuerint, nos ſecundùm tenorem Auguſtanæ Confeſsionis, noſtram quoq; Sententiam de ſingulis expoſituros.

4. Medium probandi quid vtrinq; controuerſum ſit, aliunde ſumendum non eſſe iudicamus, quàm ex ſymbolicis ſcriptis, Confeſsione vtriuſq; Partis talibus, quod ſint ſymbola conſtitutiua, & diſcretiua dogmatum diuerſorum & cætuum. Præſertim cùm ipſa Sereniſsimi Regis Inſtructio, optet, ſtatim magno ſtudio colligi, ex vnanimi Confeſsione Partium ea, quæ verè & contradictoriè pugnantia ſint.

5. Quemadmodum neq; Affirmatio, neq; Negatio Poſitionũ, ab alterutra Parte in hoc Colloquio afferendarum præiudicare poterit, cæteris alterutrius Partis Aſſeclis, per vniuerſum Orbem: ſic neq; numerus Quæſtionum deinceps controuertendarum, qui eoſdem extra vel intra hoc Regnum obliget, in hoc Colloquio determinari poterit, ita quidem vt partes in has anguſtias conſtringantur, ne vllo vnquàm tempore, quidquàm extra vel præter has determinationes in dubium vocare audeant.

3. Circa Inquiſitionem Veri & Falſi.

1. Ab

1. Ab inquiſitione veri & falſi Theologici, vix poterit omnis diſputatio arceri: præſertim ad ſenſum teſtimonij Diuini, quo Poſitio aliqua probatur, vel improbatur, vindicandum: Itaq; citra Diſputationem, vel expreſsè Syllogiſticam vel Enthymematicā, inter partes Colloquij feliciter procedi vix poterit.

2. Proponens affirmatiuas de ſupernaturalibus veritatibus, ſeu Rebus Fidei, tenebitur, & iure Diuino & æquitate naturali, probare eas, ex Principijs quæ noſtræ Propoſitionis homogenea ſunt, id eſt, ex ſolo verbo Dei ſcripto.

3. Proponens negatiuas de veritatibus ſupernaturalibus, per modum doctrinæ, vt perſuadeat alijs, negatiuam hanc vel illam credendam eſſe iure Diuino, tenebitur eas probare; At verò regerens negatiuas per modum exceptionis, aut Anthitheſeos ad affirmatiuas propoſitas, eo ipſo legitimè transfert onus probandi in affirmantem.

4. Negandis conſequentiarum rationibus non eſt fatigandus Aduerſarius, vbi conſequentiæ ratio, vel per naturam ineſt; vel ex ſcripturarum, & vtrinq; receptæ vniuerſæ Antiquitatis Teſtimonium euidens eſt; nec licebit per Notoriorum Heterodoxorum, aut Paganorum obiectiones, contentionem in infinitum extendere: ſed conſequentiæ ratio, ſi innitatur Hypotheſi ab vtroq; controuertente conceſſæ, aut ex Domeſticis principijs concedendæ, porro non erit exigenda.

5. Principia conſtitutiua propoſitionum de fide, tantùm ſumātur ex verbo Dei, extra Controuerſiam poſito, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſo, eoq; intellecto iuxta communem ſenſum, quem Verborum in fonte indoles grammatica, occaſio, & ſcopus dicendi; nec non parallela earundem phraſium, & rerum alibi in eiuſdem ſcripturæ codice oſtendunt.

6. Ad impugnandam aliquam veritatem Theologicam de fide & moribus, quæ ex ſacrarum literarum naturali communiq;

ſigni-

Digitized by Google

ſignificatu, ineſt ipſi literæ, non admittantur rationes ab incommodo, ab improbabili, ab abſurdo &c. deductæ; niſi oſtendantur eâdem euidentiâ, fundari in ijſdem literis, quâ fundatur in ijs propoſitio facta, ac tum demùm de concilianda apparente *antilogia* diſpiciatur.

7. Argumenta declarantia & vindicantia propoſitionem de Fide ciere licebit ſecundariò à Conſenſu perpetuo antiquæ Eccleſiæ; qui conſenſus in quinq; primis Concilijs vniuerſalibus, eorũq; de fide ſymbolis, ac decretis proponitur: deinde ab illis etiam Scriptoribus Eccleſiaſticis melioris antiquitatis, qui non ſuam nec paucorum aliorum, ſed totius vniuerſalis Eccleſiæ collectiuæ de fide ſententiam præferunt.

8. Si de Vero & Falſo Theologico conuenire inter partes nequiuerit manendum quidem erit Collocutoribus intra terminos dogmatum vtrinq; conceſſorum, & inquirendum ſaltem de neceſsitate reſiduorum non Conciliatorum dogmatum ad fidem & pietatem erga Devm, nec non Charitatem erga proximum generandam & exercendam, ſed iudicium de cauſa & culpa non conciliatorum dogmatum proximè quidem præſenti Auditorio, Adæquatè autem vniuerſis & collectis per Orbem fidelibus, quibus tanquam immediato ſubiecto promiſsio infallibilitatis in rebus fidei à Deo facta eſt, committendum erit.

9. Quanquam obiectis differt, doctrina de fide & moribus, quia tamen de moribus Chriſtianorum proprijs circa quos partes diſſentiunt, nulla vnquam ſuſcipi poteſt diſceptatio, non interueniente quæſtione Fidei de agendorum & omittendorum ſiue neceſſitate, ſeu vtilitate, ſeu licentia, ſeu illicito, ideo de his capitibus quando de vero & falſo Theologico diſquiritur, ſuo etiam ordine diſpiciendum, vſurpatoribuſq; eorum morum, probandæ ſiue neceſsitatis, ſeu vtilitatis, ſeu libertatis Prouincia imponenda erit.

De Or-

Digitized by Google

4. De Ordine & Modo Extrinſeco Proceſſus.

1. Cumprimis expetitur vt in diſceptatione Theologica de ſtatu Controuerſiæ, de Vero & Falſo, nec non de moribus, ſeparatæ Actiones inſtituantur inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſsionis ſocios, diſtinctæ ab Actionibus cum Reformatis.

2. Quanquam leges Colloquij Charitatiui, hoc præſeferre videantur, ac ſi veritas fidei definiri & conciliari inter Diſsidentes poſsit, ſemotâ diſquiſitione de neceſsitate Iudicis Mortalis & Præſentis, ex natura tamen inter partes inſtituendæ diſquiſitionis conueniendum præcipuè erit de Neceſsitate & Infallibilitate illius Iudicis, non minùs quàm de latitudine normæ ad quam expendendæ ſunt Affirmatiuæ & Negatiuæ propoſitiones Partium, earūq; probationes.

3. Poſtea licebit etiam iuxta ſeriem Articulorum Auguſtanæ Confeſsionis ſic procedere, vt poſtquam Catholici vnam affirmatiuam vni articulo eius Confeſsionis oppoſitam, probandam ſuſceperint, probauerint & terminauerint; tunc demum incumbat eius Confeſsionis Profeſſoribus vnam viciſsim affirmatiuam Confeſsioni à Collocutoribus Catholicis liquidatæ Oppoſitam proponendi, probandi & terminandi neceſsitas. Atq; ita deinceps alternatim cum eodem onere & iure Affirmatiuas & Negatiuas Partium proponendi, deducendi & euincendi procedatur: Vel

4. Quia Schiſma ortum eſt ex Indulgentiarum doctrina & praxi, canonicâ medendi methodo procedi poterit, à remotione cauſæ mortificæ vnius vel plurium, eo ordine quo cœperunt ad inſtaurationem ſanitatis priſtinæ.

5. Scripto theſes vtriuſq; Partis exhiberi placet tanquam obiectum adæquatum inſtituendæ diſquiſitionis, & ſeruatis diſputandi legibus, hoc tamen expetitur, nè de pluribus Articulis Fidei, quàm de vnico, qui per diſtincta decreta & Canones Concilij Tridentini

à cæ-

Google

à cæteris Articulis diſtinctus eſſe agnoſcetur, Theſes ſimul & ſemel ventilandæ tradantur.

6. Vt ad perlectionem & dilucidationem Theſium de vno Articulo propoſitarum ad exceptiones item hinc inde proponendas, diluendas, & terminandas ad minimùm concedatur ſpatium ſextidui: quod tanto facilius ſperant ſe impetraturos eſſe A. C. Profeſſores quanto grauiores ſunt dijudicationes de rebus fidei, æternam ſalutem concernentibus.

7. Conſentiunt vt obſcura aut æquiuoca ſi quæ contigerit irrepere in theſes vtrinq; proponendas, non ſolùm alijs breuibus ſcriptis explanentur, ſed ne obſcurum per æquè obſcurum efferatur Colloquio locus detur, quando Pars poſt primam & ſecundam theſeos Declarationem ſcripto factam perſpicuitatem eius agnoſcere nequit, mutuumq; Colloquium petit. In quo ipſo tamen reſponſuris ad dilucidanda quæſita moderatum cum Collegis deliberandi ſpatium, concedendum fuerit.

8. Æquum eſt vt Collocutores abſtineant ab Euagationibus, declamationibus, & cauillis mutuis, verbiſq; & ſcriptis offenſiuis, aut ſi præter ſpem committatur eiuſmodi, cognoſcatur ſuper qualitate offenſæ per æqualia DD. Præſidum ſuffragia, ac per eoſdem corrigatur.

9. Contenti ſunt binario Collocutorum numero, qui in ſingulis particularibus Colloquijs ſermonem reciprocent, ea lege, vt ſi Collocutori quidquam excidat, præter mentem ſuæ Partis, non ſolùm ad requiſitionem D. Moderatoris, ſed etiam admonitionem proximorum Aſsidentium, id queat corrigere. Hoc adiecto ſi quid Aſsidentes fortè fugerit, quod ſtante pede non corrigatur, id liceat in proximo congreſſu, auditâ Collatione Protocollorum, emēdare, neq; interea cenſeatur aſſenſu partium ſiue tacito, ſiue interpretario approbatum.

10. Senario Collocutorum ſingularium numero liberum eſto

Confeſſ. Auguſt. ſocijs alios deinceps addere, ſi fortè aduenerint, præſentibusq; vni vel pluribus alios ſurrogare, vbi neceſſariū ipſis videbitur.

11. Ne durante ſenario Collocutorū numero, à parte Auguſt. Confeſſ. plures ad partem Catholicorum adhibeantur.

12. Ne Colloquium vltra definitum à S. R. Maieſtate trimeſtre ſpacium prorogetur, ſed reſiduum Controuerſiarum, competenti tempore, & præuiâ diſpoſitione Regiâ reaſſumatur.

13. Deniq; in votis habent, quàm maximè, vt Illuſtri D. Præſidi Guldenſternio, quantociùs & antequam in Colloquio procedatur vlteriùs, iuxta determinationem Inſtructionis Regiæ, præſidij conſors, pro Auguſt. Confeſſ. Profeſſoribus conſtituatur, vt numerus ſenarius DD. Deputatorum iuxta Regium præſcriptum compleatur.

5. Quoad Accidentia & circumſtantias Colloquij.

1. Deſiderant, vt transſigatur inter partes de titulis, quib⁹ quiſq; Collocutorum compellandus eſt.

2. Petunt, vt liceat ſibi ea quæ ad extenſionem, aut dilucidationem Mandati pro re nata à Superioribus ſuis impetrandam ſpectant, & ad rationes requiſitæ extenſionis, aut dilucidationis oſtendendas faciunt, de Actis & actitatis in hoc Colloquio, ad ſuos perſcribere, finitoq; Colloquio de ijs verè ac libere referre, & ne hoc culpæ cuiquam aut noxæ ſit.

3. Vt Sententia de numero Auditorum capacium ad Colloquium hoc admittendorum, committatur ſingularum Partium præſidibus, ita vt per conuentionem æqualis numerus Auditorum, ſingularum partium admittatur, ad ſingulas diætas.

4. Vt ſub finem Colloquij reuiſis & irrotulatis Actis, cum primis quidem S. R. Maieſtati plenum Protocollū ſiſtatur, Præſidibus tamen ſingularum Partium, idem in Maiorum Terrarum Pruſſiæ ciuitatum Archiuo deponendum ſub eadem Authentia concedatur.

Digitized by Google

5. Vt Protocollum plenum & à partibus authentiſatum, infra annum excudatur typis publicis, citra conceſſionem Monopolij, aut interdictum, ne vſquequaq; diuendatur.

6. Ne vlla Actorum editio typis procuſa, pro Authentica habeatur, cuius homogæneum exemplar omnium, & ſingulorum Colloquij præſentis Præſidum Sigillo, & manu approbatum, à ſingulis præſidibꝰ nõ poſſidetur, aut reperiri, & recognoſci apud eos nequit.

7. Vt Communis Notulæ proceſſus, iuxta haſce Conditiones Præliminares à Præſidibus partium approbata, ſubſcripta, Sigilliſq; munita, ſingulis partibus extradatur, normæ deinceps inſtar habitura. Saluo Iure addendi.

Signatum die 30. Auguſti Anni Chriſti M. DC. XLV.

S. R. Maieſtatis Præſes in Colloquio Thorunienſi Charitatiuo pro Auguſtanæ Confeſſionis Profeſſoribus Deſtinatus Sigiſmundus Guldenſternius Capitan. Stum. m. p.

Eádem Seſsione DD. Catholici DD. Auguſtanis reſponderunt ad Conditiones Præliminares ab ipſis propoſitas, vt ſequitur.

AD CONDITIONES PRÆLIMINARES DD. vt vocant Auguſtanæ Confeſſ. Profeſſorum, RESPONSVM.

Ad primum iuſtum eſt. Ad ſecundum nihil eſt, quod moremur. Ad tertium, quoad indictionem Seſsionum ex conſenſu partium, ſtandum eſt Inſtructioni S. R. Maieſtatis § 15. Quoad æqualitatem Præſidum, ſecuritatis, loci, &c. vti etiam quoad triplicationem, & quadruplicationem, non ſatis liquet, quid ſibi pars velit, proinde mentem apertiùs explicet. Ad quartum, placet.

Circa Scopum & Media.

Scopus idem nobis præfixus eſt: Quæ circa media præſcribuntur Illuſtriſsimi D. Legati Regij, & Deputatorum officio, in S.R. Maieſtatis Inſtructione ſub finem § 3. & 4. comiſſo derogant.

Circa Proceſſum.

Ad 1. non poteſt nobis probari, cùm § 5. 6. 7. 8. 9. Inſtructionis S. R. Maieſtatis penitùs repugnet; nos interim profitemur intentionis noſtræ non eſſe, vt omnia ſimul diſcutiantur, ſed tantùm vt omnia, antequam ad ſecundam Actionem procedatur, ſimul proponantur.

Ad 2. & 3. Non poteſt ob eaſdem cauſas probari.

Ad 4. Circa ea, quæ vulgus comuniter perſuaſa habet, media probationis deſumenda non tantùm ex ſolis libris ſymbolicis.

Ad 5. Videtur repugnare § 5. & 8. Inſtructionis S. R. M.

Circa Inquiſitionem Veri & Falſi.

Cùm ad ſecundam Actionem pertineant omnia, eòdem quoq; referenda ſunt.

Circa Ordinem & Modum Extrinſecum Proceſſus.

Ad 1. Vbi concordia eſt inter Dominos Auguſtanæ Confeſsioni addictos & Reformatos, cùm vtriſq; ſimul agatur, vbi verò diſcordia intercedit, ſeorſim.

Ad 2. 3. & 4. Pertinent omnia ad ſecundam Actionem.

Ad 5. Iuxta mentem S. R. Maieſtatis, nè nomen quidem Diſputationis admittimus, ſed Colloquij tantùm, cuius etiam leges iuxta ſingularum Actionum exigentiam ſeruabimus.

Ad 6. & 7. Stabitur Inſtructioni S. R. M. præſertim quoad § 15.

Ad 8. Satis prouiſum eſt, in S. R. M. Inſtructione, tum § 13. tum etiam tertio & quarto, De officio Deputatorum.

Ad 9. Standum eſt § 18. Inſtructionis S. R. M.

Ad 10. & 11. Collocutorum numerum, tum literæ, tum Inſtructio S. R. M. duodenarium definiunt, dummodo iuxta § 16. in ipſo Colloquij Actu plures duobus nè intercedant.

Ad 12. Procedetur iuxta mentem & vota S. R. M.

Ad 13. Per nos ſanè licet, vt Domini ſuis ipſi votis reſpondeant.

Circa

Digitized by Google

Circa Accidentia, & Circumſtantias Colloquij.

Ad 1. Vtemur Titulis à S. R. M. quin & à Parte inſinuatis, videlicet, Dominorum Collocutorum.

Ad 2. Non placet, quia directè eſt contra mentem S.R.M.

Ad 3. Non itē placet, quia eſt contra § 17. Inſtructionis S.R.M.

Ad 4. Communicetur ſanè Partibus ſingulis exemplar, dummodo ante præfixum à S. R.M. § 20. tempus, nihil in publicum euulgetur.

Ad 5. Hoc à S. R. Maieſtatis voluntate pendet.

Ad 6. Exemplaria Authentica, non apud Præſides, ſed apud primos partium Deputatos erunt.

Ad 7. Explicanda eſt apertiùs mens partis.

Georgius Tyſzkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ. m.p.

Tandem Illuſtriſsimus Dominus Legatus, poſtquàm DD. Catholici Theologi ad horam vſq; ſecundam poſt meridiem & vltra, Reſponſum ad Conditiones à ſe propoſitas, fruſtrà expectaſſent; Dominiq; Auguſtani & DD. Reformati, exiſtimantes ſe fuiſſe dimiſſos, è Prætorio digreſsi fuiſſent, Seſsionem ſoluit, futuræq; horam octauam ſequentis diei indixit.

SESSIO III.

Primâ Septembris.

In hac Seſsione, redditum eſt DD. Catholicis Theologis Reſponſum Declaratorium DD. Reformatorum, ad Conditiones à DD. Catholicis propoſitas, ſimul & generalis Confeſsio Doctrinæ, quorum tenor eſt, vt ſequitur.

Digitized by Google

RESPONSVM DECLARATORIVM

Ad Conditiones nobis à DD. Catholicis propoſitas, pro prima Actione.

1. Quod leges circa primam Actionem, ſiue liquidationem Doctrinæ attinet, declaramus, nos eas acceptare, quæ in Inſtructione S. R. Maieſtatis continẽtur. Petimus viciſsim vt Conditionibus per nos exhibitis, ſatis fiat; ſimul autem proponimus, ſcriptũ peculiare, quo ſumma Confeſſionis noſtræ continetur.

2. Quoad ſecundam Conditionem inhæremus Orlenſi noſtro poſtulato, & S. R. Maieſtatis ad illud reſponſo, tum & deſiderio noſtro, pro pridie expoſito.

3. Poſtquam Declaratio Doctrinæ talis, qualem S. R. Maieſtas exigit, qualemq; conditio tertia exprimit, facta fuerit, id eſt, breuis, ſimplex, candida & aperta, fiet id, quod tertia poſtulat conditio, ſed triplici cum limitatione. 1. Vt hoc de Incolis DD. Catholicis huius tantùm Regni quorum nomine hæc Confeſsio exhibebitur intelligatur. 2. Niſi ipſos diuerſum deinceps alicubi docere ex ſcriptis, aut ſermonibus ipſorum proprijs, oſtendi poſsit. 3. Vt quod à nobis obſeruari volunt, idem ipſi præſtent.

4. Quarta Cõditio, quoniã Iuſta & Cõmoda eſt, tota admittitur.

5. Ad Quintam præſtare arbitramur, vbi viuâ voce aliquando colloquendum fuerit, vt bini partis cuiuſq; cum binis alterius partis committantur, inter eos tamen ſermonem ducat, non niſi vnus, in re ſcilicet eâdem, quam tractare cœperit pertexendâ, ſuggerendi vicibus alteri interim proximè relictis.

Zbigneus à Goray Gorayſki Caſtell: Chelm: Præſes à S. R. M. Deſignatus m. p.

Staniſlaus Drohoiowſki Director Conſeſſus à Parte Reformatorum m. p.

GENERALIS CONFESSIO DOCTRINÆ

Eccleſiarum Reformatarum, in Regno Poloniæ, Mag: Duc: Lithuaniæ, Annexiſq; Regno Prouincijs, ad liquidationem Controuerſiarum maturandam, propoſita Primâ Septembris.

Vt

VT poſtulatis DD. Catholicorum pro prima Actione in liquidatione Doctrinæ tantò promptiùs, pleniuſq́; ſatisfaciamus, ſimulq́; eandem ex noſtra parte, Diuinâ adiuuante gratiâ hoc reſponſo inchoëmus, generalem hâc vice doctrinæ noſtræ Profeſſionem proponendam cenſemus: præſertim cùm & Sacratiſsima Regia Maieſtas primam in eo Collocutorum diligentiam requirat, vt vnaquæq; Pars de omnibus & ſingulis Doctrinæ Controuerſæ Capitibus, ſuam ſententiam breuibus, ſimplicibus, apertis verbis & propoſitionibus conceptam, in mediûm proferat, oppoſitæq́; Parti eandem recognoſcendam offerat.

Profitemur itaq; in primis quidem nos amplecti Sacras Canonicas Veteris & Noui Teſtamenti ſcripturas, in Veteri, Hebræâ, in Nouo, Græcâ Linguâ, à Prophetis & Apoſtolis, inſtinctu Spiritus Sancti, primitùs ſcriptas, quas ſolas fidei ac Cultus noſtri regulam perfectam eſſe agnoſcimus, in quibus apertè poſita inueniuntur illa omnia, quæ ad ſalutem omnibus ſunt neceſſaria, ſeu vt B. Auguſtinus loquitur, quæ continent fidem moreſq́; viuendi, ſpem ſcilicet & charitatem.

Quarum etiam velut compendium quoddam, quoad credenda Symbolo Apoſtolico, in quod omnes baptizati ſumus; quoad facienda Decalogo, cuius ſumma conſiſtit in dilectione Dei & proximi; quoad petenda & ſperanda, Oratione Dominicâ continetur; quæ & ipſa à Domino noſtro IESV CHRISTO, inſtitutione, tum Baptiſmi, ceu Sacramenti Initiationis, ſiue regenerationis, tum S. Euchariſtiæ, ceu Sacramenti nutritionis ſpiritualis, confirmata ſunt.

In his ergò capitibus ſummam Doctrinæ Chriſtianæ ſaluificæ conſiſtere cenſemus: cui in Eccleſia propagandæ, & conſeruandæ, ſacrum etiam Euangelij prædicandi, & Sacramentorum adminiſtrandorum miniſterium, Dominus noſter inſtituit, & poteſtate clauium Spirituali aduerſus incredulos, & immorigeros armauit.

Si quid

Si quid verò in hiſce Doctrinæ Chriſtianæ capitibus, dubitationis aut controuerſiæ, de genuino eorum ſenſu, exoriatur, profitemur porrò, nos amplecti ceu interpretationem Scripturarum, certam & indubitatam Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanū, ijſdem planè verbis, quibus in Synodi Tridentinæ Seſsione 3. tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Chriſti profitentur, neceſſariò conueniunt, & fundamentum firmum, & vnicum, contra quod portæ inferorum nunquam præualebūt, proponitur.

Cui etiam conſonare Symbolum, quod dicitur Athanaſianum, agnoſcimus, nec non Epheſinæ primæ, & Chalcedonenſis Synodi Confeſsiones. Quin etiam quæ quinta & ſexta Synodi Neſtorianorum & Euthichianorum, reliquijs oppoſuêre: quæq; aduerſus Pelagianos olim Mileuitana Synodus, & Arauſicana ex Scripturis docuêre. Quinimò quidquid primitiua Eccleſia ab ipſis vſq; Apoſtolorum temporibus, vnanimi deinceps, & Notorio conſenſu, tanquam Articulum Fidei neceſſarium, credidit, docuit, idem nos quoq; ex Scripturis credere, & docere profitemur.

Hac igitur Fidei noſtræ Profeſsione, tanquam Chriſtiani verè Catholici, ab omnibus Veteribus, & recentibus Hæreſibus, quas Priſca Vniuerſalis Eccleſia vnanimi Conſenſu, ex Scripturis reiecit, atq; damnauit, nos noſtraſq; Eccleſias ſegregamus.

Cæterùm eas controuerſias, quæ Patrum noſtrorum memoriâ Eccleſias occidentis, infelici diſsidio diſiunxerunt, quod attinet, profitemur ei nos ſententiæ accedere, quæ tum in Auguſtana Confeſsione ſuperioris ſæculi, Anno 30. Imperatori Carolo Quinto à Principibus, & Ciuitatibus Imperij proteſtantibus exhibita, ſiue eam Inuariatam, ſiue repetitam, aut emendatam dixeris: tum etiam in Bohemica & Sendomirienſi ex ſcripturis explicata, in Eccleſijs huius Regni Reformatis, integrum iam ferè ſæculum, obtinuit: prout tres illæ Confeſsiones quamuis verbis non nihil diſcrepantes, tamen vt re ipſâ cum Scripturis & inter ſeſe in capitibus

fidei

fidei neceſſarijs conſentientes Sendomirienſi Conſenſu Anni 1570, in Eccleſijs noſtris receptæ Vnitæq; ſunt: atq; etiam confederatione Pacis, & ſecuritatis publicæ in hoc Regno firmatæ ac munitæ.

Sin autem DD. Catholici ſingularum iam Controuerſiarum diſtinctiorem, & ſpecialiorem explicationem à nobis requirant, viciſsim eos, quâ par eſt obſeruantiâ, rogamus, vt ipſi priùs Candidam illam & apertam doctrinæ ſuæ declarationem, quam poſtulato ſeu Conditione ſuâ tertiâ promittunt, nobis conſiderandam offerant: ita noſtrum in ſingulis, vel conſenſum, vel diſſenſum apertè item atq; ſimpliciter nos oſtenſuros, aut ſi quæ ambigua videbuntur, pleniorem explicationem vel propoſituros, vel petituros pollicemur. Ipſis etiam ſi fortè id malint, permittimus vt ex dictis Eccleſiarum noſtrarum Confeſsionibus, ea doctrinæ capita nobis recenſeant quæ Hæreſeos accuſanda, eoq; à Communione Eccleſiæ Catholicæ, & à ſpe ſalutis æternæ arcenda & exterminanda ipſi iudicent.

Hac ratione fieri poſſe confidimus, vt quàm minima temporis iacturâ, ac labore facillimo, quale & quantum ſit hoc, inter vtrâq; Partem Religionis diſsidium perſpiciatur, qui primæ Actionis Generalis ſcopus eſt.

Zbigneus de Goray Gorayſki Caſtellanus Chelmenſ: Præſes à S. R. M. Deſignatus, m. p.
Staniſlaus Drohoiowſki Director Confeſſus à Parte Reformatorum, m. p.

Joannes Bythnerus Superattendēs Maioris Poloniæ, & Theologorum ad hoc Colloquiū Deputatorum Præſes, m. p.
Thomas Węgierſki Eccleſiarum Min: Pol: Reformatorum Superattendens. m. p.
Nicolaus wyſocki Eccleſiarū Ref. in M. D. Lith: Superattendens. m. p.

In eadem Seſsione, reſponderunt DD. Catholici, ad Declaratorium Reſponſum DD. Reformatorum, & Generalem Eccleſiæ ſuæ Profeſsionem, iiſdem obtulerunt: quorum tenor eſt.

Digitized by Google

RESPONSVM

Ad Declaratorium Reſponſum DD. Reformatorum, Primâ Septemb: datum.

AD 1. Iam DD. Reformatorũ poſtulatis à nobis reſpõſum eſt. Ad 2. Nos quoq; literas S. R. Maieſtatis acceptamus, in quibus datur quidem venia imprimendi Acta præſentis Colloquij ex pacto tamen partium. At nos aliter paciſci non poſſumus, quàm conformiter ad inſtructionem S.R. Maieſtatis, quæ primas partes in hoc ſibi relinquit: in quo nos ad Illuſtriſsimum D. Legatum referimus.

Ad 3. Et ad limitationes: Quantùm ad primam limitationem, ſicut nos ſupponimus, DD. Reformatos, doctrinam nobis non Polonicorum duntaxat cœtuum, verùm etiam aliorum Regnorum & Prouinciarum cœtibus communem, propoſituros: Ita potiori Iure illi de nobis ſupponere debebant, nos non aliam doctrinam quàm vniuerſalem, totiq; Eccleſiæ Catholicæ communẽ daturos. Ac proinde non ſolùm Eccleſijs Polonicis, verùm etiam toti Eccleſiæ nihil præter Declarationem, à nobis proponendam, debere imputari. Quantum ad ſecundam limitationem: quandoquidẽ doctrina Catholica ſemper ex natura ſua inuariabilis, à nobis proponenda eſt, non eſt, quòd DD. Reformati timeant, hanc aliquando mutandam fore. Si verò quidpiam huic Doctrinæ à nobis proponendæ, vel diſſonum, vel certè minùs Conſonum, in priuato aliquo Authore repererint, hoc non ideo Eccleſiæ Catholicæ poterunt imputare. Quidquid enim huic noſtræ Profeſsioni Fidei eſt, vel erit contrarium, Catholicum cenſeri non debet. Tertia limitatio placuit conformiter ad promiſſa.

Ad 4. placuit totum.

Ad 5. Hac Conditione admiſſum eſt, vt nunquam bini Collocutores cum quatuor committantur.

Georgius Tyſzkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ m.p.

Gene-

Digitized by Google

Generalis Eccleſiæ Catholicæ Profeſſio eſt.

OMne illud & ſolũ credendũ & tenendũ eſſe Fide Diuinâ quod reuelatũ eſt per verbũ Dei, ſiue ſcriptum illud ſit, ſiue non ſcriptum. Scriptum dicimus, quòd extat in Sacris libris legitimo Canone ſeu Cathalogo, prout à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, tum aliâs tum nouiſsimè in Concilio Tridentino propoſitus eſt, comprehenſis: quos omnes admittimus, & amplectimur, iuxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet eadem ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione SS. Scripturarum. Non ſcriptum verò quod extat in Symbolo Apoſtolico, alijſq; Diuinis, & Apoſtolicis ſine ſcripto Traditionibus, quas ex ipſius Chriſti ore, ab Apoſtolis acceptas, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditas, & continuâ ſucceſsione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, & reuerentiâ, ſuſcipimus, & veneramur.

Particularem de cæteris capitibus controuerſis Eccleſiæ Catholicæ doctrinam libenter exhibebimus, die craſtinâ; Petimus tamen cum pari Fraternæ Charitatis & reuerentiæ conteſtatione, vt ipſi quoq; DD. Reformati ſuum de ſingulis Articulis controuerſis (quos habent exploratiſsimos) ſenſum paucis, & apertis, propoſitionibus concipere, & ſimul cùm noſtras ſcripto acceperint, viciſsim exhibere velint.

Georgius Tyſzkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ, m. p.

In eadem Seſsione, redditum eſt DD. Catholicis Reſponſum DD. Auguſtanorũ, ad Conditiones à DD. Catholicis propoſitas, vt ſequitur.

RESPONSVM

Ad Conditiones à DD. Catholicis pro prima Actione propoſitas, redditum die 1. Sept: Anni 1645, à Profeſſoribus inuariatæ Confeſſionis Auguſtanæ, Thorunij.

AD I. Cùm ea Conuentionum ſit natura, gentium etiam iure, & conſuetudine firmata, vt ante cauſæ propoſitionem, & formationem de modo & ordine procedendi inter partes transigatur, ipſaq; S. R. Maieſtas initio propemodum Inſtructionis, ſeu manuductionis die 15 Menſis Auguſti Varſauiæ datæ, Moderatorum, & Collocutorum arbitrio commiſerit tractationem rerum, formam & ordinem, vt ipſi communi partium conſenſu, conſcijs Illuſtriſsimo Dño Legato, & Præſidibus partium de his ſtatuant, ſibiq; leges dicant, in hoc per Dei gratiam, iam cœpto Colloquio Charitatiuo; ideo vel ipſa æquitatis ratio abſoluet Auguſtanæ Cõfeſsionis aſſeclas, à debito ponendi Sententias ſuas, de figura, & ordine ſubſequentium deliberationum, antequam de ſingulis & vniuerſis Conditionibus præliminaribus antehâc exhibitis, circa proceſſum generalem, in hoc Colloquio inſtituendum, plenè fuerit inter Partes tranſactum. Quapropter mallent requiſitum illud de formatione legum, circa liquidationem ſtatus Controuerſiæ à DD. Catholicis tantiſper fuiſſe ſuſpenſum.

Ad 2. Reſpondent autẽ, ſaluo iure ſeruãdi deinceps ordinis, ad ſecundũ. Poſtquã ſumma eorũ, quæ S. R. Maieſtas obſeruari voluit, Auguſt. Confeſsionis Profeſſoribus, liquido determinata fuerit, ſe expoſituros humiliter, quid quantùmq; liberæ Conuentionis ratio obſeruari permittat, de ijs, quidem quæ in reſcripto Inſtructionis ſeu manuductionis Regiæ continentur, ſententiam ſuam ſcripto iam retulerunt. Et conſtanter prouocant ad Inuitatorias Sereniſsimi REGIS literas die I. Decembris Anni 1644. datas, quibus expreſſa, iterataq; facultas Partibus conceditur leges Colloquij, ex vnanimi Præſidentium Partiumq; conſenſu ſancire, tempora colloquendi ex negotij vtilitate amplecti, propoſita, aut conciliata in publicam aliorum notitiam, ſcripto, vel Typo, ex pacto deferre. De ſtatu autem Controuerſiæ in ſcriptis, libriſq; deinceps euulgandis, non aliter proponendo, quàm hic determinatus

fue-

fuerit, modo competenti reſpondebunt, poſtquam qualitas cautionis, à parte Catholicorum cùm pro Incolis, tùm pro exteris, præſentibus, ac futuris præſtandæ, ipſis antea fuerit perluſtrata.

Ad 3. Cùm ex Fidei literis, ſubmiſsâ voce in publico recitatis, ſatis intelligi non potuerit, ab Auguſt. Confeſsionis Profeſſoribus, quò vſq; facultas præſentium DD. Catholicorum in ijs extenſa ſit, non dedignabuntur earum nobis facere copiam, quâ impetratâ deprehenſóq; quòd DD præſentes facultatem acceperint agendi, & concludendi pro vniuerſis, per Inclytum Regnum Poloniæ, annexaſq; Prouincias, Catholicis: vbi cauerint ſe Declarationem Doctrinæ à nobis exhibendam, non ſolùm habituros, pro verè noſtra, ſed neq; deinceps aliud nobis eſſe imputaturos, nec paſſuros, vt inter ſuos nobis quidquam aliud adſcribatur, aut imputetur, nec mutaturos vllatenus ſtatum Controuerſiæ hîc determinatum nec alios articulos Verbo ſcriptoue producturos aut admiſſuros, nec deniq; interpretationem aliam exhibitæ determinationis & declarationis ſuæ, quàm quæ ex ſolo communi loquendi vſu nobis potuit apparere, ſibi reſeruaturos eſſe, tunc demùm cauebunt Auguſtanæ Confeſsionis Profeſſores DD. Catholicis in Regno Poloniæ ea Fide & modo quē Chriſtiana pietas, æquitas libertaſq; requiret.

Ad 4. In quarta Conditione præter Sacrarum precum præfationem ab ſe præmittendam nihil deſiderant: ſed præſtabunt Conditionem, vbi moniti fuerint à Dominis Præſidentibus & Moderatoribus ſuis, ſed eâ lege vt idem obſeruent Domini Catholici.

Ad 5. Ad vitandam Confuſionem in Colloquijs, quibus agendum erit, de puncto Doctrinæ, in quo conuenire videtur Auguſtanis & Reformatis, neceſſarium erit deputari binos ſeorſim Collocutores, pro Parte Auguſtanæ Confeſsionis, qui in ſeparatis à Parte Reformata Collocutionibus, cum DD. Catho-

licis agant, quandoquidem notoria diuerſitas harum partium in ipſa Inuitatione Regia ſatis manifeſtè indigitatur.

S. R. Maieſtatis Præſes in Colloquio Thorunienſi Charitatiuo pro Parte Auguſt. Confeſſ. Profeſſoribus Deſignatus Sigiſmundus Guldenſternius Capitan. Stum. m. p.

In loco Abſentis à S. R. Maieſtate deſignati Præſidis vice Subſtitutus Stephanus in Goluſſino Beianowſki m. p.

Ioannes Hulſemannus Director Conſeſſus Theologici Profeſſorum Auguſtanæ Confeſſ. inuariatæ m. p.

Poſt hæc vnanimi Partium conſenſu, in eam itum eſt ſententiam; vt bini ab vnaquaq; parte Theologi cum ſuis Moderatoribus deputarentur, qui inſequenti die, in præſentia Illuſtriſsimi D. Legati & Illuſtriſſ: ac Magn: DD. Deputatorum, de Conditionibus Præliminaribus, ore tenùs conferrent. Dimiſſa itáq; hac die Seſsio fuit, & pro hora ſeptima ſubſequentis diei indicta.

SESSIO IV.

Die Secundâ Septembris.

I. *CVm Partes ad ſua conclauia ſtatâ horâ conueniſſent, iuxta præteritæ Seſsionis placitum, delecti ex vna quaq; Parte Theologi bini, cū ſuis Præſidibus ad Illuſtriſſ. D. Legati conclaue in præſentia Illuſtriſsimorum DD. Deputatorum conuenerunt, videlicet ex parte Catholicorum cum Illuſtr. D. Præſide Samogitiæ Epiſcopo, Theologi Regij, P. Gregorius Schönhoff, & P. Laurentius Pikarski Soc.* IESV *præſente eiuſdem Partis Notario P. Thoma Clagio: ex Parte verò Auguſtanæ Confeſsionis Profeſſorum cum Domino Ioanne Hulſemanno Moderatore, D. Ioannes Botſaccus, & Dominus Petrus Zimmermannus Præſente Notario M. Ioachimo Gobelio: Deniq; ex parte Reformatorum cum D. Ioanne Bythnero Moderatore ſeu Præſide D. Ioannes Comenius & D. Andreas Muſonius præſente D. Beniamine Vrſino Notario.*

2. Poſt

2. *Poſtquam igitur Illuſtriſsimus D. Legatus propoſuit, vt vniuerſalia futuri Colloquij præliminaria ſtatuerentur, & ad ſcripta atq́; Reſponſa hinc inde tradita reſponderetur; D. Ioannes Hülſemannus Auguſtanorum Moderator petijt ſibi explicari, quid velit illud in Reſponſo Catholicorum* § 2. Nihil eſt, quod moremur. *Reſpondit P. Gregorius Schönhof:* id nullum vilipendium, vel prauum affectum præſeferre, ſed tantùm ſenſum eſſe: nihil in ijs quatuor proteſtationibus DD. Auguſtanorum, quas Illuſtriſsimus D. Legatus acceptauit, videri ſupereſſe DD. Catholicis, quod moram futuro Colloquio obijciat. *Quam explicationem acceptauit Pars.*

3 *De dierum inter Seſsiones Colloquij interuallo, & de duratione ipſarum Seſsionum, Illuſtriß: D. Legatus cum Ill: DD. Deputatis, cenſuit iuxta ſtatum & exigentiam rei ſatis eſſe, vt intra Seſsiones Colloquij ad ſummum triduum intercedat, niſi fortè ob grauitatem materiarum, ex communi omnium trium partium conſenſu, quartus vel quintus dies adijciendus videretur. Horæ verò Seſsionum quatuor ſint, videlicet, ab octaua ad duodecimam.*

4. *Quoad æqualitatẽ loci, ſtatuit Illuſtriß: D. Legatus cum Ill: DD. Deputatis, vt omnes Collocutores medio loco ita conſideant, vt & audiri, & audire accurratè queant. Quocirca ex Auditoribus, excluſa iuuentute & plebe, Viri duntaxat grauiores, præſertim qui huius Colloquij causâ aliunde aduenerunt, admittendi, & extra Cancellos ſtatuendi erunt.*

5. *Quoad media ad futurum Colloquium facientia, vel officientia ſtatuenda vel remouenda, adhiberi poſſunt etiam ipſi Collocutores, ſiue per ſe, ſiue per ſuos Moderatores id agant.*

6. *Quoad Propoſitionem omnium in particulari Articulorum, pro prima Actione res eatenus ſuſpenſa eſt, donec præliminaria vniuerſalia ſtatuantur.*

7. *Quoad*

Digitized by Google

7. *Quoad Imputationem Doctrinæ, & quid deinceps pro cuiuſq; Partis Doctrina haberi debeat; ſtatutum eſt inter Partes præſentes, nè in Regno & annexis Prouincijs imputetur deinceps toti Parti, quod tota Pars non ſuum eſſe ex idoneis principijs liquidò demonſtrauerit.*

8. *Quoties Catholici agent cum vna Diſſidentium Parte, ſi ſequenti die altera Pars iiſdem medijs probandi vtatur, liceat Catholicis reſpondere*: iam de hiſce medijs actum heri; *nè ſi nihil noui adferatur, cogantur eadem repetere.*

9. *Determinatio, quodnam thema pro diſtincto Articulo Fidei habendum ſit, tractabitur in fine Actionis primæ.*

10. *Conceſſum eſt vtrinq; DD. Collocutoribus in ipſo Colloquij Actu, moderatum cum ſuis conferendi ſpatium, ex communi arbitrio.*

11. *Collocutor in ipſo Colloquij Actu, præter Moderatorem habere poteſt Aſsidentem, Admonitorem, & tertium Subſidiarium, alijs interim quietè ſua loca tenentibus. Quod ſi quæ incautè excidiſſent, intra ſpatium illius diei; & initiũ ſequentis Seſsionis, corrigi poterũt.*

12. *Collocutorum ſubſtitutio ſingulis* Partibus *libera eſt.*

13. *Senarius Collocutorum numerus ex parte Auguſtanæ Confeſsionis in prima Actione vſurpabitur. De quo ante ſecundam Actionem iterato agendum erit.*

14. *Titulis Collocutorum omnes tres* Partes *contentæ ſunt.*

15. *Ad Requiſitionem Illuſtriſsimi D. Legati, vt habeat peculiarem ſuum Notarium publico Iuramento obſtrictum, omnes* Partes *aſſenſum præbuerunt.*

16. *Ex Illuſtriſsimi D. Legati declaratione, & omnium* Partium *conſenſu permiſſum eſt, vt ſingulæ* Partes *habeant ſua Protocolla; imò & ex* Protocollis *tranſumpta, ad Eccleſias & Synodos Eccleſiarum ſuarum mittenda: quæ tamen nullo pacto à priuatis tranſcribenda, multò verò minùs ab vllo euulganda erunt, priuſquam S. R. Maieſtas intra ſeſqui Annum publicari fecerit, per eum, cui id S. R. Maieſtas* com-

Digitized by Google

committere dignabitur. Quâ ſuper re is, apud quem Authenticũ Protocolli fuerit, præmiſſâ legitimâ aſſecuratione, Partibus alijs cauebit.

17. *Etſi durante Colloquio liceat Mandatarijs ad ſuos ſcribere, nemini tamen Collocutorum, multò verò minùs aliorum præſentium Auditorum, licebit ſcripto Acta excipere. Quem in finem Obſeruatores, à Magiſtratu loci in Aula maiore conſtituendi ſunt. Iam verò qui durante Colloquio tranſumpta partibus deſcribent, Iuramento ad ſecreti fidem obſtringentur.*

18. *Quotidie à meridie Actorum collatio inter Notarios fiat, vt initio ſequentis Seſsionis prælegantur, ac deinceps deſcripta ab Illuſtriß: D. Præſidente & DD. Moderatoribus Partium ſubſcribantur, & ab Ill: DD. Deputatis ſignentur. Notarij porrò rapſodias ſuas illicò lacerabunt.*

19. *Conditiones Colloquij in formam receſſus redactæ, inſtar normæ, quoad præſentem Actum apud* Partes *habeantur, Et Illuſtriß: D. Præſidenti, & DD. Moderatoribus, præ oculis ſint.*

20. Preces *ante & poſt Seſsiones omnibus* Partibus *communes ſint, de quarum forma* Partes *conuenient.*

21. *Tempus duraturi* Colloquij, *ex re ipſa* DEO *iuuãte definietur.*

22. *Ad hodiernam diei veſperam permittitur Partibus, vt liceat, ſi quid occurrerit proponere.*

Seſsio futura in diem ſequentem Lunæ 4. Septemb: indicta.

SESSIO V.
Die Quartâ Septembris.

C*Vm* Partes *omnes ad conclaue Illuſtriß: D. Legati cum ſuis Illuſtriß: DD. Deputatis, Illuſtriſsimo ac Reuerendiß: D.* Præſidente, *& DD. Moderatoribus Partiũ conueniſsent. Ex parte quidem Catho-*

 lic-

licorum ijdem qui pridie fuerant: Ex parte Auguſtanorum D. Abrahamus Calouius, & D. Ioannes Mochingerus, Collocutores: Ex parte autem Reformatorum, ijdem qui proximâ Seſſione interfuerant, cum DD. Notarijs; præſtitit Iuramentum ſecundùm Formulam ſupra poſitam Perilluſtris ac Adm: R. D. Adamus Kos Canonicus Kielcen: S. R. M. Secretarius, & R. P. Ioannes Rywocki è Soc: IESV, *vt Notarios agerent; Primus quidem Illuſtriſſ: D. Legati, pro parte S. R. Maieſtatis; Alter pro parte Catholicorum, cuius hactenùs vices geſſit R. P. Thomas Klagius. Ibi ſtatutum inprimis, vt DD. Notarij habeant poteſtatem non admittendi ad ſuum Conſeſſum vllum, qui non ſit iuratus.*

Mota eſt deinde difficultas de titulo DD. Catholicis in Actis tribuendo, qui titulũ Catholicorũ abſolutè ſibi tribui volebant. DD. Auguſtanis & DD. Reformatis, Titulũ Romano-Catholicorũ ipſis tribuentibus; ſuper qua re ſatis prolixè actum: illis poſſeſſionem inuiolatã eius tituli abſoluti, inprimis in hoc Regno vſitatam aſſerentibus; his tituli eius in hoc negotio conceſſionem, cum præiudicio cauſæ ſuæ & excluſione ab Eccleſia Catholica, coniunctam eſſe affirmantibus. Cùmq; varia hinc inde media afferrentur, & Partes in conclaui conuenire non poſſent, ſingulæ ſententias ſuorum requiſiuerunt, ijsq; auditis conuenerunt, vt DD. Notarij Catholici, ſcribant ſimpliciter Catholici; *DD. verò Notarij reliquarum Partium ſcribant, prout pronunciabitur, ſiue ſimpliciter* Catholici, *ſiue cum additione* Romano-Catholici.

Ex hac occaſione Illuſtriſſimus D. Caſtellanus Chelmenſis, nomine DD. Reformatorum, obtulit Illuſtriſſimo D. Legato manifeſtationem, cuius hæc erant verba.

Quod in hoc Colloquio, alij Catholici Romani, alij Auguſtani, alij verò Reformati dicantur, id nulli parti quidquã præiudicare, neq; ita accipi debet, quaſi Auguſtani & Reformati

non

non eſſent membra Eccleſiæ Catholicæ, vel quaſi Auguſtani non eſſent Reformati, vel Reformati non eſſent Auguſtanæ Confeſsionis Socij, ſed hæ partium appellationes diſcriminis ergo in hoc Colloquio adhibebuntur.

Quâ manifeſtatione auditâ, pars Catholica ſe interpoſuit, ſâtiſq; quoad titulũ Catholici præuiâ conuentione prouiſum eſſe aſſeruit. Poſt quã *Catholicorum Declarationem, Illuſtriſsimus Dńs manifeſtans, ſe eâdem Conuentione priùs acceptatâ contentum eſſe, nec plùs requirere dixit: Supereſſe verò ſibi, vt cum DD. Auguſtanis de altera clauſula conueniat. Exorta enim fuerat inter Auguſtanos & Reformatos controuerſia, ſuper hac porrecta manifeſtatione: Illuſtriſs: autem D. Legatus, redditâ Illuſtriſsimo D. Caſtellano Chelmenſi formulâ manifeſtationis, cenſuit, vt ambæ Partes inter ſe tanquam de negotio ſibi ſpeciali conuenirent.*

His peractis Seſsio eſt in diem ſequentem indicta.

SESSIO VI.
Die Quintâ Septembris.

IIſdem omnibus in conclaui Illuſtriſs: D. Legati congregatis, qui proximâ Seſsione conuenerant, præter duos DD. Collocutores, D. Nicolaum Wyſocki, & D. Paulũ Bochnicium, ex parte DD. Reformatorũ, ad hunc Actum deſignatos, prælectæ ſunt ac recognitæ Conditiones præliminares generales, die 2. Septemb, connotatæ, in quibus & occurrentes difficultates ſunt complanatæ.

De Precibus autem in Aula maiore ſub initium Seſsionũ, præeunte Illuſtriſsimo ac Reuerendiſs: D. Epiſcopo Samogitiæ, publicè habendis, conuentum eſt inter DD. Catholicos & DD. Reformatos: ſed oppoſuerunt ſe DD. Auguſtani, paritatem libertatis exigentes, ad recitandas per vices Preces publicas; qua de re eâ die conuentum cum illis

non eſt. Adiectæ ſunt tandem duæ Conditiones ad priores præliminares, quarum prima eſt deſumpta ex Inſtructione S. R. Maieſtatis: cuius tenor eſt talis.

Poſt abſolutum negotium nemo quidquam de habitis in ea actionibus, & collocutionibus in publicum ſcripto, vel typo, per ſe vel ſubornatum (quòd membrum additum eſt, ex Conſenſu partium) edat, quouſq; Protocollum, vt vocant, ex Voluntate & Mandato S. R. M. in lucem prodierit. In publicis autem ſermonibus, vel libris, non niſi honorificam totius negotij, & perſonarum, quæ interfuerant, mentionem faciant. *Altera eſt.*

In Congreſsibus ſtatim vbi ab Illuſtriſsimo Præſidente & à DD. Moderatoribus moniti fuerint DD. Collocutores, ad rem accedant, non præmiſsis vllis omnino præfationibus, digreſſionibus, Allocutionibus, & ſimilibus, quibus curſus rerum tractandarum retardari poſsis.

His peractis indicta eſt Seſsiö in ſequentem diem.

SESSIO VII.

Die Sextâ Septembris.

In præſentia Illuſtriß: D. Caſtellani Gneſnenſis, quem Illuſtriß: D. Legatus legitimè impeditus, in locum ſuū ſubſtituerat, & Illuſtriß: D. Præſidentis Catholici, cum ſuis Collocutoribus, & Illuſtriſsimorum DD. Deputatorum partis Reformatæ & Auguſtanæ, cum D. Calouio pro tempore Moderatore Auguſtanorum, & D. Balthaſare Voidio, nec non M. Ioanne Fabritio, Collocutoribus; ſimiliter cum D. Moderatore partis Reformatæ, & Collocutoribus; D. Muſonio & D. Bochnicio, correctæ ſunt quædam præliminares Conditiones, 2. Septemb: ex con-

conſenſu Partiũ acceptatæ, quòd nõ ſatis perſpicuæ viderentur, & inter alias Conditio præliminaris 16. *hoc modo eſt declarata.*

Quo caſu Protocollum intra ſeſquiannum, iuſſu S. R. Maieſtatis typo non euulgaretur, licebit Partibus illud, vel tranſumptum legitimè ſubſcriptum, typis euulgare; hac tamen lege, vt Correcturæ & reuiſioni operarum Typographicarum, tres Iurati, ſinguli ſingularum Partium præficiantur, qui abſoluto opere atteſtentur, ſe reuidentibus, corrigentibus, & cum Protocollis ſuæ Partis, vel tranſumptis legitimis conferentibus, totum opus euulgatum fuiſſe: & hoc ipſum teſtimonium initio Libri præfigatur. Viſum eſt autem id Thorunij commodiſſimè fieri poſſe. Quod ſi duæ Partes in euulgationem conſentirent, tertia autem Pars à duarum Partium conſentientium Deputatis, vel Præſidente, aut Moderatoribus requiſita refragaretur, liberũ erit duabus reliquis, in id conſentientibus, ex Protocollis, ſupra dicto modo, ſeruatiſq; iiſdem legibus, vel ex tranſumptis legitimè ſubſcriptis Typo publicare.

Indicta eſt Seſsio in ſequentem diem.

SESSIO VIII.
Die Septimâ Septembris.

PRæſente Illuſtriſsimo D. Legato, Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſ: D. Præſidente, Ill: DD. Deputatis, & DD. Moderatoribus, ſeu Præſidibus, & binis cuiuſq; partis Collocutoribus, videlicet, ex parte DD. Catholicorum, Illuſtri ac Adm. R. D. Paulo Potrykowski, Archidiacono Pultouienſi, S. R. M Secretario, & R. P. Gregorio Schönhof Soc: IESV; ex parte Auguſtanorum, D. Calouio, & D. Zimmermano; ex parte Reformatorum, D. Muſonio, & D. Bochnitio; initio relecta ſunt Acta Seſsionum trium, à die 4 Septẽb: ad 6 eiuſdem incluſiuè.

Ex occaſione verò Manifeſtationis in Seſſione 4. Septemb habita, ab Illuſtriſ: D. Caſtell: Chelmenſi oblatæ, D. Hülſemannus Auguſtanorum Moderator, nomine ſuæ Confeſſionis Profeſſorum, ſolenniter reproteſtatus eſt contra prædictam DD. *Reformatorum Manifeſtationem; poſtquam intellexit eam in Acta relatam eſſe, ſe non permittere communionem Auguſtanæ Confeſſionis ſociorum* DD. *Reformatis, quoad communionem dogmatum.*

Reaſſūptâ deinde eſt cōtrouerſia de precibꝰ publicè dicẽdis, de quibꝰ in Seſſione diei 5 Septemb: actum fuerat. Auguſtani enim paritatem publicè precandi ſibi competere dicebant, vt euitaretur hac ratione ſcandalum. Catholici è contra id nullo modo fieri poſſe aſſeruerunt, propter ſimilis ſcandali periculum, & præterea contra conſuetudinem hactenùs in Regno obſeruatam, in præſentia Illuſtriſ: D. Legati Regij, & Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſ: D. Præſidentis Catholicorum, qui Epiſcopus & Senator eſſet, & Synodi totius Catholicæ Authoritatem
vide *repræſentaret. Atq; ita manſit adhuc hæc res indeciſa: conuentum*
Seſ. 31. *tamen, vt Auguſtani à publicis precibus abeſſe, ſuaſq; in conclaui pro-*
4 Nouemb. *prio abſoluere poſſent, & tum demùm ijs finitis ſeſe reliquis in Aula maiore adiungere. Ad inſtantiam verò Ill: D. Caſtellani Chelmenſis formula hæc Precum Actis inſerta eſt: cuius tenor eſt talis.*

INVOCATIO SPIRITVS SANCTI

Ad initium cuiuſuis Seſſionis Colloquij Charitatiui Thorunienſis de rebus Fidei Anno Dñi, 1645.

HYMNVS.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſupernâ gratiâ
Quæ tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altiſsimi Donum DEI,
Fons viuus, Ignis, Charitas,
Et Spiritalis vnctio.
Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternæ Dexteræ,
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accen-

Digitized by Google

Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longiùs,
Pacemq; dones protinus,
Ductore ſic te præuio
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atq; Filium,
Teq; vtriuſq; Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
℞. Et renouabis faciem terræ.

OREMVS.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius pia conſolatione ſemper gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecũ viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus S. Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

OREMVS.

ACtiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præueni & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum, &c.

GRATIARVM ACTIO.

Ad Finem Seſſionis.

PSALMVS.

LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio & nũc & ſemper, & in ſæcula ſæculorũ, A.

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu.

℞. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Ore-

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſsione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere; & in potentia maieſtatis adorare vnitatem; quæſumus, vt eius fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Proteſtatus eſt poſtea Illuſtriſsimus ac Reuerendiſs: D. Epiſcopus Sámogitiæ vti Præſidens Catholicorum, nec non R. P. Schönhof e Soc: Iesv, *Collocutorum Catholicorum nomine, hactenus nullam cauſam moræ ex parte ſua interceſsiſſe, quæ pium S. R. Maieſtatis deſiderium differret, ſed ex ſola Auguſt: parte. Reſponſum ad hæc ab Auguſtanis propter honeſtas rationes hactenus id factum fuiſſe, conſtiturumq; id toti Orbi. Cui Reſponſum oppoſitum à R. P. Schönhof: optaſſemus honeſtas iſtas cauſas ita tractatas fuiſſe, vt moram negotio non inijcerent, ſimulq; declarauit, iam ſe paratos eſſe etiam proximè futurâ Seſsione rem ipſam cum Reformatis aggredi.*

Oblata deinde à Catholicis eſt generalis Profeſsio, Auguſtanis (quā diebus aliquot obtulerant ante 1 Septemb: Reformatis) & repoſitum eſt reſponſum ab Auguſtanis, quod ex eâdem contra eandem formauerant: Cuius tenor eſt talis.

Ad Profeſsionem Generalem à DD. Catholicis propoſitam reponimus.

OMne illud & ſolum credendum eſſe & tenendum fide Diuinâ quod per verbum Dei, ſacrarum literarum Canone comprehenſum, reuelatum eſt.

2. Canonem verò Sacrarum literarū abſolui profitemur Scriptis Propheticis Veteris Teſtamenti Hebræâ linguâ Eccleſiæ Iudaicæ olim concreditis, à Chriſto & Apoſtolis approbatis nec non

Apo-

Apoſtolicis noui Teſtamenti Græcâ linguâ exaratis, prout à ſancta Eccleſia Catholica & Apoſtolica propoſitus, inq; Concilio Laodiceno repettus eſt.

3. Præter Scripturæ S. Canonem, nullum aliud agnoſcimus Dei verbum non ſcriptum, quod quidem ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis receptum, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditum, continuâ ſucceſsione in Eccleſia Catholica conſeruatum, pari pietatis affectu, & reuerentiâ ſuſcipiendum, adeoq; fide diuinâ credendum ſit.

4. Symbolum Apoſtolicum, etſi quoad Articulos fidei, quos ſummatim exhibet, ſcriptis Apoſtolicis prorſus congruat, & præ alijs Symbolis aut Scriptis Eccleſiaſticis, in magna Authoritate meritò haberi debeat: quòd tamen Symbolum iſtud totidem omninò verbis ab ipſis Apoſtolis per immediatum Spiritus S. afflatum profectum, Eccleſiæq; concreditum ſit, quot & quibus verbis inde à quarto ſæculo in Eccleſia propoſitum eſt, hoc inquam, ceu infalliiliter certum fide diuinâ haud creditur.

5. De alijs verò ſcriptis Eccleſiaſticis literiſq; Epiſcoporũ, quæ poſt Confirmatum Canonem, vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, Iudicio B. Auguſtini accedimus, in decreto Gratiani, diſt. 9. c. quis neſciat: approbato. Et per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem doctioremq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis fortè à veritate deuiatum eſt.

6. Suſcipimus verò & amplectimur Sacras literas, non niſi eo ſenſu quem Spiritum Sanctum intendiſſe, per legitima interpretandi media colligitur, eundemq; tenuiſſe, & tenere S. Matrem Eccleſiam Catholicam minimè dubitamus, cuius eſt verum ſenſum ſacrarum Scripturarum ex ipſis Scripturis eruere, & de rebus fidei ſecundùm Canonem verbi Dei, iudicare.

7. Quæ autem & quales ſint res fidei è ſacrarum literarum ge-

nuino ſenſu legitimè deductæ, Eccleſiarum noſtrarum profeſsio ſummaria in Auguſtana Confeſsione Inuariata comprehenſa, delineat, ad quam prouocauimus in Articulis noſtris præliminaribus circa Proceſſum § 3. nec non circa inueſtigationem veri & falſi § 5.

Joannes Hülſemannus S. Th. Doct. Moderator Partis Aug: Conſ: Inuar: m. p.

Acceſsit deinde D. Hülſemannus ad ſpecialia præliminaria primæ Actionis tractanda, petijtq́; vt pars Catholica declararet, quos libros haberet pro ſymbolicis: quos inuicem promiſerunt ſibi Partes ſcripto exhibere.

Cùm verò de modo probandi ageretur, conuentum eſt, vt quis verè ſit Partis ſenſus, integrum ſit etiam per legitimas, eaſq́; proximas conſequentias probare. Quodſi poſt examen conſequentiæ, an legitima ſit, nondum inter Partes conueniat, relinquendum in medio eſſe iudicium de Legitimitate conſequentiæ.

Tandem cùm inter Partes, de principijs probandi ſenſus Partium ageretur, R. P. Schönhof principium illud habendum eſſe pro dogmate Catholico dixit, quòd deciſum eſt à Concilijs Oecumenicis approbatis, ſimiliter & vnanimem conſenſum omnium Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ Catholicæ, non obſtante paucorum, ſi qui inuenirentur diſſenſu. Sed D. Hülſemannus reſpondit à ſua Parte, admitti non poſſe hoc poſterius principium, quod contradictionem inuolueret. Cui reſponſum eſt, non inuoluere vllam contradictionem, cùm vniuerſalis particula [omnium] *ſumatur non Mathematicè, ſed moraliter, moralis autem vniuerſalitas patitur excluſionem aliquorum, vel paucorum. Replicatum eſt ab Auguſtana parte, vniuerſalem* [omnes] *in propoſitione illa, nec poſſe, nec debere ſumi, niſi numericè, quando de concordia ſenſuum inter Doctores vnius viſibilis Eccleſiæ, quæſtio eſt. Iterum iterumq́; replicatum eſt à Catholicis, conſenſum omnium Eccleſiaſticum, quoad concordiam Doctrinæ, integrum eſſe, & rectè dici,*

ali-

aliquibus, vel paucis aliter ſentientibus, & probatum primitiuæ Eccleſiæ exemplo, Tertulliani, Origenis, Auguſtini; Reſponſum eſt ab Auguſtanis, conſenſum Eccleſiaſticum ſumi vel obligatoriè, quid publicè doceri debeat, vel logicè, quæ ſit omnium Doctorum ſuper vno obiecto ſententia. Concluſum tandem ex parte Catholicorum, principium hoc ex liberalitate & fiducia cauſæ oblatum, poſtquam tot difficultatibus videretur implicitum, deinceps offerendum non eſſe, quod etiam tota Pars Catholica requiſita, immobiliter retinendum eſſe denunciauit. Concluſum etiam à parte Auguſtana, numerum & ſtatum quæſtionum controuerſarum, ſufficienter definiri non poſſe, niſi de hoc probandi principio antea fuerit conuentum, ſeq; ad ſuos hoc relaturam eſſe.

Et ita Actus præſens limitatus eſt, dilatuſq; ad Sabbathum.

SESSIO IX.

Die Nonâ Septembris.

In Conclaui Partis Auguſtanæ exhibitum eſt nomine Catholicorum Auguſtanis Scriptum ſequens: cuius tenor eſt talis.

Principium pro liquidatione Doctrinæ Catholicæ, à DD. Auguſtanis admiſſum.

PRincipium ad cognoſcendam & internoſcendam propriam, genuinam, & vniformem noſtram, & quorumuis Catholicorum, de Doctrina Articulorum controuerſorum ſententiam, eſt conſenſus Eccleſiæ Catholicæ expreſſus, in quibuſuis legitimis Concilijs, ſiue generalibus, ſiue particularibus, legitimè approbatis, in quantum approbata ſunt, & præcipuè in Sacroſancto Concilio Tridentino.

Solum Concilium Tridentinum ſufficere equidem poterat ad præſentem cauſam. Complectitur enim totam & integram Doctrinam eorum Articulorum, de quibus liquidãdis laboramus; & apud nos tantundem Auctoritatis pondus habet, quantum reliqua omnia; vt proinde pro inueſtigando Catholicorum in his Articulis ſenſu, ſuperfluum planè ſit, ad ſuperiora Concilia recurrere, & in ampliſsimis illis voluminibus quærere, quòd nullo prorſus negotio, in exiguo, omnibuſq; obuio totius Orthodoxæ Doctrinæ, noſtrorumq; ſenſuum compendio, abundè deprehendi poteſt; id eſt, in Codice Concilij Tridentini, quod eſt cæterorum Conciliorum recapitulatio, & veluti ſumma.

Sed ne quid ſubduxiſſe videamur, & ex abundanti, exprimere voluimus, quæuis Concilia legitimè approbata. Quidquid enim in quolibet illorum tanquam dogma fidei definitum eſt, noſtrũ eſt.

Ne verò prolixiores ſimus in recenſendo Conciliorum Catalogo, ad eum nos referimus, quem exhibet Bellarminus lib: I. de Concilijs. cap. 5 & Decret. Gratiani diſt. 16. Can: ſexta Synodus & ſeqq. & d. 20. Can: de libellis.

Georgius Tyſzkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ m.p.

Illico redditum eſt ab Auguſtanis ſcriptum, tenoris talis.

Firmamenta ac Symbola Fidei, Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſsionis.

Catholicam fidem eam eſſe profitemur, quam Prophetæ in Veteri, ac Apoſtoli in Nouo Teſtamento, in vniuerſo Orbe terrarum prædicarunt, nobiſq; per voluntatem DEI in ſcripturis verè Canonicis tradiderunt.

Huius Catholicæ Fidei Symbola eſſe agnoſcimus. Apoſtolicum, & reliqua Generalia. Nicenum, Athanaſianum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe. Quibus addimus

Decre-

Decreta de fide Concilij Oecumenici Conſtantinopolitani ſecundi, vt & Concilij Oecumenici Conſtantinopolitani tertij, nec non Mileuitani, & Arauſicani ſecundi aduerſus Arij, Macedonij, Neſtorij, Euthychetis, Pelagij, & aliorum errores.

Hæc Catholica Fides in Symbolo Eccleſiarum noſtrarum, Auguſtana nempe Confeſsione, eaq; Inuariata propoſita, in Apologia eiuſdem defenſa, ac in maiori & minori Cathechiſmis Lutheri, Articuliſq; Smalcaldicis explanata, atq; in formula concordiæ, pro rei temporumq; exigentia perſpicuè declarata eſt.

Ex hiſce Symbolis & ſcriptis publicis de doctrina Eccleſiarum noſtrarum vnicè iudicari volumus, nec quidquam nobis imputari tanquam noſtrum, quod ijſdem contentum non eſt.

Ioannes Hulſemannus D. Moderator Theol. Auguſt. Confeſſionis Inuariatæ. m. p.

Eodem die in Conclaui Illuſtriſsimi Dñi Legati relecta ſunt Acta diei 7. Septembris præſentibus Partibus.

SESSIO X. Vndecimâ Septembris.

Poſtquam DD. *Reformati Illuſtriſs. Dñm Legatum per Generoſum D. Albertum* Dorpowski *conueniſſent, Seſsioniſq; præſentis dilationem iuſtas ob cauſas in 13. Septemb. petijſſent, Illuſtris quoq; Dñs Staniſlaus* Droboiowski *eiuſdem Partis director poſtulatum hoc DD. Reformatorum, Illuſtriſs: & Reuerendiſs: Præſidenti Theol: Cathol: propoſuit, ſimulq; promiſit tunc DD. Reformatos ſine vlla mora, volente* DEO, *rem ipſam aggreſſuros.*

Antequàm autem Seſsio ſolueretur, oblatum eſt DD. Catholicis Reſponſum DD. Profeſſorum Auguſt: Confeſs: ad principium proliquidatione Doctrinæ Catholicæ, die 9. Septemb: Illuſtriſsimo D. Legato exhibitum, cuius tenor eſt. Theo-

Theologorum Auguſtanæ Confeſsionis Reſponſum,

Ad principium pro Liquidatione Doctrinæ Catholicæ,
Die IX Septembris exhibitum.

1. PRincipium illud non eſt admiſſum, ſed reſponſio dilata, donec interpoſitæ quæſtioni interlocutoriæ de qualitate, & quantitate illorum Cõciliorum, in quibus conſenſus iſte expreſſus dicitur, fuerit ſatisfactum.

2. Acceptant autem quod DD. Catholici id ſolùm Parti ſuæ imputari cupiunt, ſuper quo Conſenſus expreſſus eſt, in denominatis Concilijs, petuntq́; ſi quid publicè docetur, aut in praxi obſeruatur in Regno Poloniæ, & annexis Prouincijs, quod in denominatis Concilijs definitum non eſt, vt Pars Catholica teſtari velit, id Catholicum non eſſe.

3. Quandoquidem diſtinguunt DD. Catholici inter Concilia legitima & legitimè approbata, petunt DD. Auguſtani Declarationem, vtrùm illa omnia & ſola ſint talia, quæ apud citatum Bellarm: lib: 1. de Concil: c. 5. & Gratian: Diſt: 16. Canone ſexta Synodus & ſequentibus Canonibus, vſq; ad finem Diſtinctionis, nec non Diſt: 20. Can: de libellis allegantur.

4. Cæterùm diſtinguunt & ipſi Confeſſores Auguſtani inter enumerata Concilia, & largiuntur in ijs quædam eſſe hodiernorũ Catholicorum propria, quædam communia vniuerſis per Orbem Fidelibus. Oblatum die 11. Septembris.

Joannes Hülſemannus D. & Moderator Theol: Aug: Conſ: 'nuar. m. p.

Eâdem Seſsione, DD. *Catholici exhibuerunt dubia quædam, ex proximo ſcripto* DD. *Auguſtanorum excerpta: cuius ſcripti titulus fuit, Firmamentá & Symbola Fidei. Dubia autem huiuſmodi fuerunt.*

Dubia DD. Catholicorum, ex proximo DD. Auguſtanorum ſcripto.

1. Vtrùm

1. VTrùm DD. Auguſtani ex toto Concilio Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi, nihil penitùs aliud recipiant, præter Symbolum generale?

2. Vtrùm nullas admittant ſuarum Confeſsionum Synodos, vel decreta Synodalia?

3. Vtrùm omninò reſpuant conſenſum Sendomirienſem?

4. Vtrùm Corpus Doctrinæ Pruthenicum non habeant pro Symbolico?

5. Vtrùm acceptaturi ſint tanquam Doctrinam propriam quidquid probari poterit ex verbis Lutheri?

6. Cùm Confeſsio Auguſtana non contineat omnes Articulos controuerſos, vnde conſtare de illis poterit?

7. Cùm de quibuſdam Articulis Confeſsio Aug. loquatur parcè & obſcurè, vnde authenticè liquidabitur?

8. Nuper oblatum à nobis Catholicis fuit medium liquidationis, Conſenſus Eccleſiæ Præſentis, id eſt, Conſenſus omnium Paſtorum & Doctorum, qui degunt in Eccleſia Romana; & parati eramus etiam offerre plura, ex quibus integrum foret dijudicare, & determinare, quænam ſit propria noſtra Doctrina, quæ non? At poſtquàm illud protulimus & obtulimus, impugnatum eſt à DD. Auguſtanis in conclaui, tanquam incertum, & inutile ad eiuſmodi liquidationem, eò quòd exiſtimarent, vix vnum reperiri dogma inter Catholicos, in quo non ſit aliqua Docentium diſcrepantia.

Reſponſum eſt tunc, id quidem de noſtris dogmatibus, quæ habentur vt dogmata fidei, difficulter oſtendi poſſe; quod ſi tamẽ contingeret, vnum aliquem vel paucos à cõmuni ſenſu diſcedere, per hoc non deſtrui Catholicum conſenſum, qui dici poſsit *Omnium*, quia Vniuerſalitas illa, quæ moralis eſt, ſeu ſecundùm quam dicuntur *Omnes* moraliter (qualis eſt in re noſtra) patitur excluſionem paucorum. Maximè quod illi pauci, qui deprehenderentur diſcedere à communi ſenſu, parati ſunt errorem abijcere, & eiurare, ſi intel-

Digitized by Google

intelligant ſe aberraſſe à ſenſu Eccleſiæ, quòd plerumq; Authores nostri in fronte, vel in tergo librorum ſuorum, proteſtantur. Atq; ita quamuis diſcrepent ab Eccleſia per errorem particularem, ex fragilitate, inaduertentia, lapſu memoriæ, ignorantiâ, concordant tamen per conſenſum generalem, ex animi præparatione ad deponendum omnem diſſenſum. Atq; ita admiſſo etiam paucorum lapſu, integer adhuc manet conſenſus Eccleſiaſticus *Omnium*.

Hæc nuper dicta ſunt: quæ quia à DD. Auguſtanis acceptata non ſunt, eò ventum eſt, vt noſtra Pars declarari palàm vellet, Catholicos quidem ex liberalitate & fiducia cauſæ ſuggeſsiſſe hoc medium liquidationis, tanquam certiſsimum, ex noſtro ſenſu exploratiſsimum, aptiſsimum; ſed quandoquidem cernerent paruifieri à DD. Auguſtanis, imò impugnari & reijci, tanquam implicatum difficultatibus, & inutile ad præſens negotium, ideo illud ad ſe recipere: non ſine admiratione, quòd DD. Auguſtani repulerint, id quod in rem ſuam arripere, & tanquam toti negotio perneceſſarium ambabus manibus tenere debuerunt; & deniq; nolle, vt DD. Auguſtanis vſurpare deinceps liceat, alterum iſtud medium liquidationis.

Tum verò exceperunt DD. Auguſtani ſe ad liquidationem doctrinæ non poſſe procedere, niſi de hoc principio certum aliquid ſtatuatur; cùm ergo iam in procinctu liquidationis ſimus, ne quem obicem progreſſui exceptio inijciat, audire libenter volumus, quis ſit Auguſtanæ partis ſenſus.

Georgius Tyſkiewicz Epiſcopus Samogitiæ, uti Præſidens Theologorū Catholicorū, m.p.

Deinde DD. Catholici elapſo non longi temporis ſpatio, dubia in proximo reſponſo à DD. *Auguſtanis propoſita, ſequenti ſcripto expediuerunt.*

Hoc ſcriptum ſequenti die 12. Septembr. ad manus DD. Auguſt. deuenit.

Expe-

Expediuntur Dubia Proximo Reſponſo à DD. Auguſtanis propoſita.

AD primum. Exhibitione noſtri Principij ſatisfactum eſt.

Ad Secundum. Immeritò dicunt DD. Auguſtani, ſe acceptare, id quod à nobis oblatum non eſt. Nunquam à nobis audiuerunt, quaſi id ſolùm nobis imputari velimus, ſuper quo conſenſus expreſſus eſt in Concilijs. Diximus velle nos, vt omne illud nobis imputetur, quod habet conſenſus expreſſus in Concilijs, inde verò non ſequitur velle nos, vt id ſolùm imputetur. Nec enim bona eſt conſequentia, A propoſitione vniuerſali affirmatiua, ad excluſiuã, ſicut nõ valet, omnis homo eſt animal, ergo ſol⁹ homo eſt animal.

Quod ſi iam petunt vnde conſtare poſsit, quænam ſint illa dogmata, quæ quamuis in Concilijs definita non ſint, ad mittuntur tamen à Catholicis tanquam dogmata fidei? Reſpondemus ei nos difficultati occurrere voluiſſe, cùm alterum liquidationis medium porrigeremus, nempè conſenſum Eccleſiæ præſentis; id eſt, Conſenſum Omnium Paſtorum & Doctorum exiſtentium in Eccleſia. Et niſi DD. Auguſtani deliberationem illam de medijs liquidationis interpoſitâ diſceptatione, & refragatione abrupiſſent, ſuggeſiſſemus alia quoq;: ſibi itaq; id adſcribere debent, quòd deſtituti ſint totali & adæquato medio liquidationis. Ex his verò ſequitur, non ſatis æquum eſſe poſtulatum DD. Auguſtanorum, quo petunt vt teſtemur, id omne, quod in Conciljis definitum non eſt, non eſſe Catholicum.

Ad Tertium. Non eſſet inconueniens diſtinguere inter Concilia legitima & legitimè approbata, cùm pleraq; particularia ſeu Prouincialia, quæ in tota Chriſtianitate frequenter aguntur, poſſint agi legitimè, id eſt, iuxta leges & Canones, quamuis eo ipſo non cenſeantur legitimè approbata. Ipſa quoq; legitima approbatio, quam confert Summus Pontifex, ſupponit Acta legitima, deniq;

Digitized by Google

intelligant ſe aberraſſe à ſenſu Eccleſiæ, quòd plerumq; Authores noſtri in fronte, vel in tergo librorum ſuorum, proteſtantur. Atq; ita quamuis diſcrepent ab Eccleſia per errorem particularem, ex fragilitate, inaduertentia, lapſu memoriæ, ignorantiâ, concordant tamen per conſenſum generalem, ex animi præparatione ad deponendum omnem diſſenſum. Atq; ita admiſſo etiam paucorum lapſu, integer adhuc manet conſenſus Eccleſiaſticus *Omnium*.

Hæc nuper dicta ſunt: quæ quia à DD. Auguſtanis acceptata non ſunt, eò ventum eſt, vt noſtra Pars declarari palàm vellet, Catholicos quidem ex liberalitate & fiducia cauſæ ſuggeſsiſſe hoc medium liquidationis, tanquam certiſsimum, ex noſtro ſenſu exploratiſsimum, aptiſsimum; ſed quandoquidem cernerent paruifieri à DD. Auguſtanis, imò impugnari & reijci, tanquam implicatum difficultatibus, & inutile ad præſens negotium, ideo illud ad ſe recipere: non ſine admiratione, quòd DD. Auguſtani repulerint, id quod in rem ſuam arripere, & tanquam toti negotio perneceſſarium ambabus manibus tenere debuerunt; & deniq; nolle, vt DD. Auguſtanis vſurpare deinceps liceat, alterum iſtud medium liquidationis.

Tum verò exceperunt DD. Auguſtani ſe ad liquidationem doctrinæ non poſſe procedere, niſi de hoc principio certum aliquid ſtatuatur; cùm ergo iam in procinctu liquidationis ſimus, ne quem obicem progreſſui exceptio inijciat, audire libenter volumus, quis ſit Auguſtanæ partis ſenſus.

Georgius Tyſkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ, m.p.

Deinde DD. Catholici elapſo non longi temporis ſpatio, dubia in proximo reſponſo à DD. *Auguſtanis propoſita, ſequenti ſcripto expediuerunt.*

Hoc ſcriptum ſequenti die 12. Septembr. ad manus DD. Auguſt. deuenit.

Expe-

Expediuntur Dubia Proximo Reſponſo à DD. Auguſtanis propoſita.

Ad primum. Exhibitione noſtri Principij ſatisfactum eſt.

Ad Secundum. Immeritò dicunt DD. Auguſtani, ſe acceptare, id quod à nobis oblatum non eſt. Nunquam à nobis audiuerunt, quaſi id ſolùm nobis imputari velimus, ſuper quo conſenſus expreſſus eſt in Concilijs. Diximus velle nos, vt omne illud nobis imputetur, quod habet conſenſus expreſſus in Concilijs, inde verò non ſequitur velle nos, vt id ſolùm imputetur. Nec enim bona eſt conſequentia, A propoſitione vniuerſali affirmatiua, ad excluſiuã, ſicut nõ valet, omnis homo eſt animal, ergo ſol⁹ homo eſt animal.

Quod ſi iam petunt vnde conſtare poſsit, quænam ſint illa dogmata, quæ quamuis in Concilijs definita non ſint, admittuntur tamen à Catholicis tanquam dogmata fidei? Reſpondemus ei nos difficultati occurrere voluiſſe, cùm alterum liquidationis medium porrigeremus, nempè conſenſum Eccleſiæ præſentis; id eſt, Conſenſum Omnium Paſtorum & Doctorum exiſtentium in Eccleſia. Et niſi DD. Auguſtani deliberationem illam de medijs liquidationis interpoſitâ diſceptatione, & refragatione abrupiſſent, ſuggeſiſſemus alia quoq; : ſibi itaq; id adſcribere debent, quòd deſtituti ſint totali & adæquato medio liquidationis. Ex his verò ſequitur, non ſatis æquum eſſe poſtulatum DD. Auguſtanorum, quo petunt vt teſtemur, id omne, quod in Conciljis definitum non eſt, non eſſe Catholicum.

Ad Tertium. Non eſſet inconueniens diſtinguere inter Concilia legitima & legitimè approbata, cùm pleraq; particularia ſeu Prouincialia, quæ in tota Chriſtianitate frequenter aguntur, poſſint agi legitimè, id eſt, iuxta leges & Canones, quamuis eo ipſo non cenſeantur legitimè approbata. Ipſa quoq; legitima approbatio, quam confert Summus Pontifex, ſupponit Acta legitima, deniq;

Digitized by Google

niq; fieri poteſt, vt conuocentur legitimè Concilia etiam generalia, & tamen non approbentur. Sed nos in Scripto noſtro, nihil minus intendimus, quàm diſtinguere. Sed quæ diximus legitimâ maioris explicationis gratiâ vocauimus legitimè approbata. Verùm ad rem; Omnia Concilia quæ citatione Decreti & Bellarmini indicauimus, allegare licebit DD. Auguſtanis, tanquam legitima: Vtrùm verò ſola quæ ibi recenſentur ſint legitima? Reſpondemus, non eſſe ſola, illa tamen ſola ſufficere ad præſens negotium; imò ſolum Concilium Tridentinum, quia vel omnia continet, quæ inter nos Catholicos præciſè & inter DD. Auguſtanos, ſunt controuerſa, vel illa ſaltim: quæ ſi acceptare & credere velint DD. Auguſtani, nihil iam ampliùs ad plenitudinem fidei veræ Catholicæ ab illis deſiderabimus.

Ad Quartum implicat in adiecto. Concilia nobis, qui Catholici ſumus, eſſe propria, & non eſſe Vniuerſis per Orbem Fidelibus communia, loquendo de iure.

Georgius Tyſkiewicz Epiſcopus Samogitiæ: vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ, m. p.

Tandem Illuſtriſſimo D. Legato, & DD. Catholicis aſſentientibus, dilata eſt Seſſio in decimam tertiam Septembris.

SESSIO XI.

Decimâ Tertiâ Septembris.

DD. Catholici, & DD. Reformati, inuicem ſibi exhibuerunt ſcripta pro liquidatione Doctrinæ. Scriptum DD. Catholicorum iſtius fuit tenoris.

Præ-

Digitized by Google

PRÆAMBVLVM PROPOSITIONVM CATHOLICARVM.

AMplectimur ambabus manibus illum Tractationis Ordinem, quem non humano ſenſu excogitatum, ſed à DEI Spiritu ſuggeſtum & inſpiratum, vel inde certiſsimò perſuaſi ſumus, quòd tantâ conſenſione animorum & ſenſuum, tum S. R. Maieſtas Dñus noſter Clementiſsimus, tum Supremus totius negotij ex Parte noſtra Motor & Moderator, Illuſtriſsimus Regni Primas, tum deniq; aliorum omnium, qui rectè ſentiunt ſententiæ, in eandem tractationis formam conſpirent.

Ordimur itaq; à Liquidatione ſeu ſinceratione noſtræ Catholicæ Doctrinæ: & tantò quidem libentiùs, quòd ex certa ſcientia compertum habeamus, irrepſiſſe in animos DD. Auguſtanorum & DD. Reformatorũ, tam præpoſteras, tamq; abſurdas, & abſonas de nobis, deq; doctrina noſtra Perſuaſiones, vt planè mirum nobis non ſit, quòd à pleriſq; quibus aliunde nunquam ſatis innotuit ſincerior Catholicorum ſenſus, contemptim habita ſit, & interdũ etiam enormibus hæreſibus comparata, vel poſtpoſita.

Nos verò profitemur coram DEO, & Orbe vniuerſo, ab ijs nos opinionibus, vel erroribus, de quibus paſsim traducebamur, & traducimur, vſq; adeò alienos eſſe, vt anathema dicamus, qui ita ſentiunt, & tanquam manifeſto DEI verbo repugnantes, iamq; pridem ab Eccleſia DEI damnatas, & à quouis fideli, qui membrum Chriſti & Eccleſiæ eſſe velit, damnandas ac reprobãdas hæreſes, reprobamus, damnamus, & anathematizamus. Liceat cum bona pace veſtra, recenſere longiſsimo ordine, quibus puritatem Doctrinæ noſtræ, non ſine magno dolore noſtro, hactenùs obſcurari, in pleriſq; populis, & propè extingui ſenſimus. Nec enim aliter liquidari poſſe credimus, in animis veſtris genuinam Doctrinæ noſtræ ſententiam, niſi priùs eam caliginem, quæ ſincerioris Doctrinæ lumen offuſcat, & mortalium oculis ſubtrahit, abſtergamus.

Digitized by Google

gamus. Et verò ſperamus, vos ipſos quoq; fraterno compaſſuros animo dolori noſtro, & pro veſtro candore candidæ ſinceræq; Declarationi noſtræ, ſine vllo fuco & dolo, in medium prolatæ, totiuſq; Orbis iudicio ſubiectæ, fidem daturos.

Itaq; circa Regulam Fidei, accuſamur & damnamur, quaſi ab vnica formali & ſuprema Fidei Regula deficientes, ipſamq; ſacrã Scripturam contemptui habentes, amplectamur humanas traditiones, tanquam fidei noſtræ fundamenta & baſes, eaſq; DEI verbo, Euangelio Chriſti, Iuſtitiæ Fidei, præferamus, conceſſâ etiam Eccleſiæ & Summo Pontifici poteſtate, vt noua dogmata, ſeu Articulos fidei, ſine verbo DEI, imò contra verbum DEI, pro arbitrio condat. Scripturas ipſas faſtigio Romanæ Hierarchiæ ſubijcere dicimur, ac ſi æterna inuiolabiliſq; DEI veritas, hominum arbitrio niteretur. In poteſtate Papæ eſſe ſcripturas abolere, quas velit, erigere cultus, ordinare Sacrificia, inſtituere Sacramenta, mutare Sacramentorum ſubſtantialia, figere leges quas velit, diſpenſare, ſoluere, quibuſcunq; legibus velit, &c. Nobis autem quidquid vel Papa, vel Eccleſia contra vel extra DEI verbum ſtatuerit, habendum eſſe non alio loco, quàm certum DEI oraculũ. Ex quo ſecutum ſit, quod deleto Chriſti Euangelio, tota noſtra doctrina ex horrendis Sacrilegijs & blaſphemijs conſuta ſit, cùm veluti caput Arcanæ noſtræ Theologiæ ſit, nullum eſſe DEVM, quæcunq; de Chriſto ſcripta ſunt, eſſe mendacia & impoſturas, doctrinam de futura vita, & vltima reſurrectione, meras eſſe fabulas, &c. Deniq; Papam talem fingunt, qualem nemo Catholicorum ſomniat, & qualem non eſſe ſole ipſo clariùs eſt, vt cùm dicitur Antichriſtus, adorari à nobis vt DEVS, &c. &c.

Circa Doctrinam de Iuſtificatione.

Accuſamur & damnamur, quaſi prætermiſsâ DEI miſericordia, Chriſtoq; mediatore, & propitiatore præterito, ac prorſus ſepulto,

pulſo, improbato, deleto, imò ſpreto Chriſti merito & gratiâ, *Euangelio*, de gratuita peccatorum remiſsione, deq; Iuſtitia fidei penitùs abolito, oppreſſâq; doctrinâ Pauli, de gratia Chriſti, citra fidem polliceamur Iuſtitiam, & humanis tantùm viribus, quæramus viam & acceſſum ad DEVM, & noſtris operibus, ſine Chriſto, & extra gratiam factis, obtinere, mereri, emere, conemur remiſsionem peccatorum. Pelagianis per omnia facti ſimiles, ſomniantes, Chriſtianam Iuſtitiam nihil eſſe aliud, quàm ciuilem & Philoſophicam, & inducentes Chriſtianiſmum, qui nihil aliud ſit, quàm obſeruatio feriarum, rituum, ieiuniorum, veſtitûs, doctina legis, abrogatio Euangelij, doctrina deſperationis, factitia religio, deniq; cultus Mahometicus, Phariſaicus, Hypocriticus, &c. Hæc & ſimilia initio huius Schiſmatis, magno ſtrepitu contra nos iactabantur, & eiuſmodi accuſationibus implebantur omnes libri, qui & hodie omnium veſtrûm teruntur manibus, & cum pleriſq; ſymbolici ſint, magnam inter vos authoritatem habent, vt mirũ non ſit paucos eſſe, qui aliter de nobis perſuaſi ſint. At verò nos longiùs ab his peſtilentiſsimis erroribus abſumus, quàm Cœlum & Terra, quod oſtendere poſſumus, veluti in meridiana luce. Et tamen à primis Doctrinæ veſtræ Magiſtris, hæc veluti ſuprema, & ferè vnica cauſa prætexitur, ob quam neceſsè fuerit à Romana Eccleſia recedere.

Circa Doctrinam de Sacramentis.

Accuſamur & damnamur, quaſi fingamus principaliter per ſuam naturalem Conditionem Sacramenta conferre Spiritum, & quidem ſine fide, & fiducia, & ſine bono motu accipientis, & excluſis Chriſti meritis, & hanc impiam & pernitioſam opinionem, magnâ authoritate doceri in toto Regno Pontificio: miſeroſq; homines hâc ſuperſtitione illigari, vt potiùs in ſpectaculo rei corporeæ, quàm in DEO ipſo acquieſcant. Quaſi Eccleſiæ noſtræ

ſenſus ſit Baptiſmo vota eſſe paria, & Monaſticam Profeſsionem eodem meliorem, &c. &c.

Quaſi à pœnitentibus plura exigamus, quàm præſtare homo poſsit, circa enumerationẽ peccatorũ, contritionẽ, &c. Et è contra plura tribuamus quàm poſsit, vt quòd conteri poſsit ſine fide, quòd contritione mereatur de condigno remiſsionem peccatorum, quòd contritio ſit æqualis offenſæ, quòd actus pœnitentiæ det efficaciam Sanguini Chriſti, quòd pœnitens ſurgat ſuis ſatisfactionibus abſq; Chriſto, quòd Sacerdos abſoluat à peccatis authoritate propriâ, &c. &c.

Quaſi in Conſecratione Euchariſtiæ Magicis incantationibus vtamur, neglectis Chriſti verbis, & additis potiùs vanis geſticulationibus, & ritibus, quaſi conſuetudo communicandi ſub vna ſpecie contra Scripturas, & contra veteres Canones, & exempla Eccleſiæ ſuſcepta ſit, quaſi negemus Laicis Calicem quia indigni ſunt, quaſi panem adoremus, & reclamante ſcripturâ noſtræ et libidinis arbitrio, DEVM fabricemus derelicto DEO viuente, &c. &c.

Quaſi matrimonia legitima prohibeamus, & immunditiam, iniquitatem, inquinamenta, ſordes vocitemus, quaſi doceamus Cælibatum miniſtrorum Eccleſiæ eſſe de iure Diuino, quaſi aliqui vi cogantur ad Cælibatum, quaſi ſentiamus humanæ poteſtatis eſſe ſine ſingulari dono DEI Creationem mutare, &c. &c.

Quaſi ſentiamus Indulgentias vſurpari ad remiſsionem peccatorum quoad culpam, quaſi indulgentiæ non per Chriſtum, ſed per Petrum, Paulum, & Martyres remiſsionem largiantur, quaſi ſupponamus ſanguinem Martyrum, addi Sanguini Chriſti, ad redimendam culpã, ad reconciliationem obtinendam, ad æternam Pœnam abolendam. Quaſi per Doctrinam Purgatorij expiatio peccatorum alibi quæratur, quàm in Chriſti Sanguine, &c. &c.

Circa

Digitized by Google

Circa Sacrificium, & alios Cultus.

Quaſi Sacrificium Miſſæ, Chriſti Crucem, & Paſsionem opprimat, & obruat, vel eò directè ſpectet, vt rurſum ſi fieri poſsit trucidetur Chriſtus, vel vt nouam in Miſſa redemptionem recognoſcamus, vel vt ſignificemus Paſsioni & morti Chriſti vim defuiſſe æternæ purgationis. Quaſi Sacerdotem, qui Miſſam offert Chriſto æquiparemus, aut eò Superiorem faciamus, atq; ita conemur Chriſtum, non ſolùm ſuo honore ſpoliare, ſed etiam à dextra Patris deturbare. Quaſi contendamus Miſſam eſſe opus, quòd ex opere operato iuſtificat, & delet peccata grauia, ſine vllo peccatoris negotio, &c. &c.

Quaſi cultum illum tribuamus Sanctis, qui re ipſa à Cultu DEI, non differt, atq; ita per Cultum Sanctorum, Diuinitatis gloriam diſſecemus, aut certè turbam minorum Deorum ſummo DEO circumdemus. Quaſi vt plurimum Chriſto præterito per Sanctorum nomina DEVM inuocemus, aut certè illa anxietate laboremus, ac ſi hîc Chriſtus deficeret. Quaſi publica inter nos inualuerit perſuaſiio, B. Virginem prorſus in locum Chriſti ſucceſſiſſe. Quaſi Sanctos faciamus Mediatores redemptionis. Quaſi veneratio Imaginum, reliquiarum, ſit mera Idololatria, &c. &c.

Hæc & multo plura ſunt, quæ nobis Catholicis paſsim imputari, non ſine graui iniuriæ ſenſu comperimus. Non tamen ideò allegamus, vt de iniurijs hoc loco expoſtulemus, ſed in hoc fraternitatis foro, ſenſum noſtrum explicare voluimus, vnum illud poſtulantes, vt candidis dictis candidam à vobis fidem impetremus. Quid amplius in rebus fidei deſiderare poteſt exquiſitiſsima mortalium ſagacitas, quàm apertam Confeſsionem, quâ affirmet in terminis quod affirmandum eſt, & neget quòd negandum eſt?

Neq; refert quòd aliqui per ſyllogiſticas Conſequentias iſtiuſmodi propoſitiones rectè ſe inferre, & iuſtè nobis imputare exiſtiment. Videndum enim eſt cui magis credendum ſit, mihinè ſimpl:ci-

pliciter, apertè &in terminis terminantibus, propoſitionem neganti, an alteri per Conſequentiam (quam ipſam legitimam eſſe nego) eandem mihi imputanti? Sed priuſquam de legitimitate conſequētiarum agamus, explicemus, per pauciſsimas propoſitiones ſummam noſtræ Doctrinæ.

PROPOSITIONES DOCTRINÆ CATHOLICÆ.

De Regula Credendi.

VNica formalis, & adæquata credendi Regula eſt, Integrum DEI verbum, ſcriptum videlicet, & traditum, per os viſibilis, & ex certa perpetuaq; Spiritus Sancti aſsiſtentia, infallibilis Eccleſiæ, propoſitum, & expoſitum, interueniente operâ, & authoritate legitimorum Paſtorum, id eſt, Epiſcoporum, & præcipuè Romani Pontificis, qui eſt Viſibile totius EccleſiæCaput, &Supremus in terris Chriſti Vicarius.

De Iuſtitia Chriſtiana.

I. ADam per inobedientiæ peccatum, in quo omnes peccauerunt inquinatus non tantùm mortem, & pœnas Corporis, in omne genus humanum transfudit, ſed etiam ipſum verè & propriè peccatum, quod mors eſt animæ, cuiuſmodi concupiſcentia non eſt, quamuis etiàm ipſa peccatum ſit, & dicatur.

2. Hoc quamuis liberum arbitrium homini non abſtulerit, ad bonum tamen ſicut oportet viribus illud ſpoliauit in perpetuum, niſi Pater miſericordiarum Chriſtum IESVM Filium ſuum, vnicam propitiationem, plenamq; per fidem in Sanguine ipſius pro noſtris peccatis miſiſſet.

3. Non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi, quamuis non omnes beneficium mortis eius recipiunt, ſed ij duntaxat quibus meritum Paſsionis Chriſti communicatur, atq; ij ſoli iuſtificantur.

4. Iuſti-

4. Iuſtitiam quâ peccatores iuſtificantur, gratis, & non ex operibus accipiunt, & quamuis adulti, excitati gratiâ DEI per CHRISTVM, & adiuti, ſeſe præparare, & diſponere debeant ad iuſtificationem, non tamen huiuſmodi diſpoſitione eam promerētur.

5. Porrò Præparatio huiuſmodi præter motum fidei in DEVM, quâ impius credit vera eſſe, quæ diuinitùs reuelata, & promiſſa ſunt, atq; illud imprimis, à DEO iuſtificari impium gratis, per gratiam eius in Sanguine IESV CHRISTI, includit præterea motus per Chriſtum factos, Timoris, Spei, dilectionis DEI, odij, deteſtationis peccatorum, propoſitum Baptiſmi, emendationis vitæ, & mandatorum obſeruationis. Ideò dici non poteſt, ſolâ fide impium iuſtificari, ita vt intelligatur, nihil aliud præter hunc fidei motum requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam præparet, ſeu diſponat, quod ipſum & de ſola fiducia intelligimus.

6. Diſpoſitionem hanc, iuſtificatio per quam iuſti nominamur, & ſumus, & non ſolùm reputamur, conſequitur, quæ non eſt ſola remiſsio peccatorum, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, ſeu eſt iuſtitia DEI, non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit, & pro illa quam Adam ſibi nobiſq; perdidit, per CHRISTVM IESVM nobis donat.

7. Sic Iuſtificatorum nemo exiſtimet ſe non teneri ad obſeruantiā mandatorum DEI, ſed quilibet credat CHRISTVM IESVM à DEO hominibus datum eſſe, & vt redemptorem cui fidat, & vt Legislatorem cui obediat, & cuius mandata impoſsibilia non ſunt.

8. Obedientiam iſtam Iuſtificati dum præſtant per gratiam CHRISTI, in eadem Iuſtitia cooperante fide, bonis operibus creſcunt, atq; magis Iuſtificantur, ſicut & illi, qui vltra mandatorum obſeruantiam etiam Conſilia perfectionis Euangelicæ ſequuntur.

Hi Iuſtorum labores, non ideò ſolùm inanes non ſunt, ſed magnam habent remunerationem, quia Iuſtitiam acceptam augent,

L ſed

ſed etiam, quia plenè legi DEI ſatisfaciunt, per eos vitam æternã, & ipſius vitæ æternæ, ſi in hac Iuſtitia deceſſerint conſecutionem, atq; gloriæ augmentum merentur.

10. Neq; Iuſtificatus peccat intuitu mercedis huius operando, multoq; minus peccat in quolibet huiuſmodi opere, aut mortaliter, aut venialiter.

11. Nullus autem ſcire poteſt certitudine fidei, cui non poſsit ſubeſſe falſum, niſi hoc ſpeciali reuelatione DEI didicerit, Iuſtitiam hanc Chriſtianam ſe eſſe conſecutum, aut in ea perſeueraturum, ſed ſuam propriam Indiſpoſitionem, & infirmitatẽ quilibet reſpiciens, de ſua gratia, & Iuſtitia formidare & timere debet.

12. Vnde etiam nemo certò ſtatuere debet, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum, quia & Iuſtificatus peccare poteſt, & ſi peccauerit certam ſibi reſipiſcentiam promittere non debet.

13. Quod ſi ab accepta Iuſtitia per peccatum mortale quodpiam Iuſtus exciderit, rurſus per DEI gratiam iuſtificari poteſt, ſi excitante DEO Cor, atq; adiuuante lapſus per pœnitentiæ Sacramentum, atque etiam adeò per ſatisfactiones merito Chriſti gratiam recuperare procurauerit.

14. Ad hanc Iuſtitiam finaliter habendam, ſoli prædeſtinati ſecundùm propoſitum voluntatis miſericordiæ eliguntur, quorum fructus nimirum permanet. Electionis autem, & prædeſtinationis vim negamus pertinere ad reprobos, ſicut & mala eorum opera: negamus enim adeo proprium DEI opus eſſe proditionem Iudæ, atq; vocationem Pauli.

De Sacramentis.

SAluâ Analogiâ ſeu conſenſu Veteris cum Nouo Teſtamento, Sacramenta Euangelica differunt à Moſaicis, naturâ, numero, efficaciâ, ritu, fructu, præſtantiâ, promulgatione.

Baptiſmus aquæ naturalis omnibus ad ſalutem omninò neceſſarius

Digitized by Google

rius eſt, & adultis quidem cum præuia fide propria, infantibus autem cum fide aliena.

In Sacramento Euchariſtiæ, verè realiter, & præſentialiter adeſt, & ore ſumitur totus Chriſtus etiam ab indignis, cui ratio exiſtendi adæquata, & vltima eſt tranſubſtantiatio, ideoq; natura eius Sacramenti non conſiſtit in vſu. Vt hoc Sacramentum ſub vtraq; ſumatur ſpecie, Chriſtus non præcepit.

Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium, vera ſunt Nouæ legis Sacramenta.

Partes Pœnitentiæ in quantum eſt Sacramentum, ſunt Contritio, auricularis à Chriſto inſtituta, & præcepta Confeſsio, & Satisfactio: eſt tamen in Eccleſia poteſtas etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ ijs, qui poſt adeptam reconciliationem rei ſunt luendæ pœnæ temporalis, ſatisfactionem Chriſti applicandi, ac per hoc indulgentias concedendi, quibus animæ defunctorum in Purgatorio, poſt deceſſum ex hac vita exiſtentium, non minùs iuuari poſſunt, quàm conſuetis viuentium ſuffragijs.

Ordo inuehit in Eccleſiam Chriſti Hierarchiam, conſtantem Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, quorum nemò legitimus eſt, abſq; legitima vocatione Ordinaria, vel Extraordinaria, Cælibatus Miniſtrorum Ordinatione Eccleſiaſticâ rectè & ſalubriter inſtitutus eſt.

Ceremoniæ ſeu ritus in Sacramentorum vel Sacrificij adminiſtratione, ab Eccleſia Catholica recepti, & approbati, ſicut & alia Sacramentalia, ſiue obſeruationes eiuſdẽ Eccleſiæ Catholicæ, nõ ſolùm vacãt omni ſuſpicione cuiuſuis ſuperſtitionis, multò magis Magiæ, verùm etiam ſunt laudabiles admittendæ, & retinendæ, nonnullæ etiam ſub onere conſcientiæ, quod onus ab Eccleſia vi poteſtatis diuinitùs acceptæ poteſt imponi fidelibus.

Digitized by Google

De publico DEI Cultu.

1. CVltus Religioſus in Eccleſia Catholica vſitatus, vnum ac ſolum DEVM per ſe primariò & vltimatè reſpicit, nam etiam Honor DEI cauſâ, creaturis impenſus, in DEVM ipſum redit.

2. Cultus ſoli DEO debitus Latria dicitur; Dulia verò vel Hyperdulia, qui Creatæ ſupernaturali excellentiæ conuenit, qui verò creatæ naturali Cultus, vel adoratio ciuilis dicitur.

3. Inter Actus Latriæ primo præcipuoq; loco cenſetur ſacrificium. Sicut igitur in lege naturæ & Moſaica fuerunt, ita & in lege gratiæ, Miſſa eſt verum & propriè dictum Sacrificium, tum Euchariſticum, tum propitiatorium; in quo ſecundùm ordinē Melchiſedech Corpus & Sanguis Chriſti ritu incruento offertur.

4. Quia Sancti, etiam ante cōmunem corporum reſurrectionem cum Chriſto in cœlo regnant, ex vi eſſentialis Beatitudinis, quâ fruuntur, & charitatis, quâ nobis coniuncti ſunt, non tantùm cognoſcunt, ſed etiam patrocinio & interceſsione ſua neceſsitates noſtras adiuuant. Quocirca non minùs quàm Sancti in terris adhuc viuentes, inuocari, & coli à nobis, citra vllam Idololatriam poſſunt.

5. Crux Chriſti, ſacræ item Dei, Chriſti, & Sanctorum imagines, propter ſpecialem, quam ad DEVM & Sanctos habent connexionem, participatamq; inde excellentiam, deniq; & ipſæ Sanctorum reliquiæ, vtiliter & piè in honore & veneratione fidelium ſunt.

6. Pari pietate Templa ad DEI honorem, & Sanctorum eius memoriam erecta, aliaq; loca reliquijs, Imaginibus, vel memorijs Sanctorum illuſtria, publicis fidelium proceſsionibus, vel etiā peregrinationibus, frequentari poſſunt.

Georgius Tyſſkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorū Catholicorū m.p.

Scri-

Scriptum verò DD. Reformatorum, eò quòd videretur multa continere ſuperſlua, & impertinentia, quædam etiam iniurioſa, à DD. Catholicis acceptatum non fuit: Sed DD. Reformatis redditum ſequenti die vt illud corrigerent. Seſſio in ſequentem diem dilata.

SESSIO XII.

Decimâ quartâ Septembris.

Cùm controuerſia ratione Scriptorum quorundam, inter DD. Catholicos & DD. Auguſtanos, ſopiri non potuiſſet, horâ poſt meridiem ſecunda Seſſio ſoluta, & in diem ſequentem indicta.

SESSIO XIII.

Decimâ quintâ Septembris.

In hac Seſſione oblatum eſt DD. Catholicis, à DD. Auguſtanis Reſponſum ad dubia, à DD. Catholicis, ſuper principio Liquidationis Doctrinæ DD. Auguſtanorum propoſita: cuius tenor eſt talis.

Reſolutio Dubiorum duobus Scriptis,

Die 9. & 11. Septemb: à DD. Catholicis propoſit: DD. Auguſtanis.

CVm præſentes Aug: Confeſſ: Theologi, pro liquidanda tota & integra Doctrina ſua, iuxta requiſitum S.R. Maieſtatis, determinauerint media ſiue principia liquidandi non ſolùm poſitiuè, ſed etiam excluſiuè, in Scripto 9. Septemb: oblato, cui titulus, *Firmamenta*, cum hac diſerta clauſula: Ex hiſce ſymbolis & ſcriptis publicis, de Eccleſiarum noſtrarum Doctrina vnicè iudicari volumus, nec quicquam nobis imputari, tanquam noſtrũ quod ijſdem contentum non eſt: maluiſſent vtique parſum ipſis fuiſſe à DD. Catholicis, interrogationibus illis, de talibus ſcriptis,

quæ ipſi Dñi Interrogantes optimè norunt non admitti ab Auguſtanæ Confeſsionis Profeſſoribus, pro ſymbolis fidei ſuæ, neq; ſingula, neq; vniuerſa, præterquam ſymbola & decreta fidei eorum Conciliorum, quæ denominauimus.

Hoc autem petimus, cùm S. R. Maieſtas cupiat, ipſaq́; poſtulet æquitas, vt capita doctrinæ controuerſæ, omnia & ſingula eodē modo ac pari cùm integritate, & plenitudine vtrinq́; liquidentur, ne refragentur DD. Catholici poſt enumerata, ſeu enumeranda ab ſe ſcripta Symbolica, eandem addere clauſulam quàm ex firmamentis noſtris iam recenſuimus.

Arbitramur enim hoc eis incumbere, vt aut hoc præſtent, aut ſingula, & omnia media ſpecificent, per quæ ſufficienter, & adæquatè poſsint omnia & ſingula Doctrinæ Controuerſæ capita liquidari, ; aut deniq; patiantur liquidari ſibi à nobis doctrinā ſuam, ex publicè receptis, confirmatis, & quotidie ad legendum, cantandū, prædicandum, credendum, & amplectendum propoſitis, præceptiſq́; ſcriptis.

2. Principium nobis oblatum, conſenſus nempè præſentis Eccleſiæ Catholicæ, inutile eſt iudicatum. Non ad Partis Catholicæ diuerſas ſententias indagandas, ſed ad dogmata verè Catholica dignoſcenda, nec ita certum prout quidem à parte Catholica allegatur : Cum vnanimis omnium Eccleſiæ Paſtorum, & Doctorum partis alicuius ſententia, haberi minimè poſsit, quam in Eccleſia illa viſibili Paſtores & Doctores præcipui, citra cenſuram Eccleſiaſticam contraria ſententia impugnant ; quòd de pleriſq́; articulis cōtrouerſis cum parte Catholica, in procliui eſſet oſtendere, qui ſanè diſſenſus formalis, & explicitus, per aliquam virtualem & hypotheticam conſenſionem moralem, cùm Eccleſia Romana minimè conciliatur : cùm apertè diſſentiens conſentire manente eodē obiecto, dici nequeat citra cōtradictionem : nec doceri poteſt vllatenus, aut mente comprehendi, quomodo in hoc, vel illo doctrinæ

næ Capite, in quo manifeſtus eſt, quorundam Doctorum diſſenſus, vnanimis omnium Doctorum conſenſus aſſeri poſsit, præſertim eiuſmodi, qui teſtetur de dogmate verè Catholico, cuius hanc proponit Vincentius Lyrinenſis notam, ſi nempè id teneatur, quod vbiq; quòd ſemper quod ab omnib⁹ creditũ eſt. Quâpropter cũ de Identitate conceptuum ſuper obiecto controuerſo quæritur, non moralem, ſed numericam vniuerſalitatem conſentientium requiri diximus, & demonſtrabimus. Neq; verò propoſitum ſubmittendi ſe iudicio Eccleſiæ, hoc efficere poteſt, vt contradictio formalis deſinat eſſe contradictio formalis: nec quiſquam diſſentientium in viſibili Eccleſia Catholica hoc ſupponit quod ſupponunt DD. Collocutores, ſeſe diſſentire à ſenſu præſentis Catholicæ Eccleſiæ Romanæ, ſed vterq; diſſentientium prouocat ad illum conſenſum, vterq; manet, moriturq; citra cenſuram Eccleſiaſticam, in illa viſibili Eccleſia Catholica Romana.

Ioannes Hulſemannus D. & Moderator Theol. Auguſt. Confeſſionis Inuariatæ. m. p.

Indictum deinde, vt DD. Notarij pro Collatione Actorum horâ circiter ſeptimâ, cum ſuis Moderatoribus, DD. verò Theologi omnium Partium, horâ octauâ ſequentis diei, pro publica Seſſione celebranda conuenirent.

SESSIO XIV PVBLICA, Decimaſextâ Septembris.

ANte Seſsionem publicam horâ ſeptima, in præſentia Illuſtris & A. R. D. Pauli Potrykowski Archidiaconi Fultouienſis, ad id ſpecialiter in locum Illuſtriſsimi D. Epiſcopi Samogitiæ Deputati, tum D. Hülſemanni ex parte Auguſtana, ex parte verò Reformatorum, D. Ioannis Bythneri, Moderatorum, Acta totius Colloquij relegi, &

coin-

conferri cœpta; ſed quia nonnullæ in ijs occurrebant difficultates, remiſſæ ſunt ad pleniorem DD. Deputatorum cognitionem, quoad hæc puncta. Primò actum de titulo & cæteris ad proœmium Actorum pertinentibus. 2. D. Hülſemannus non ſuo nomine, aut ambitione priuatâ, ſed nè quæ in Actis inæqualitas appareret, poſtulauit, vt vel DD. Prælatis Catholicorum non addatur titulus, Adm̃ Reuereñ Dñi, *vel ſibi quoq; tribuatur titulus conſimilis. 3. Poſtulauit idem, vt quoad ordinem inter Auguſtanos & Reformatos ſeruandum, primo loco nominentur Auguſtani, poſteriore Reformati. 4. Cùm hæc ſcripta à Parte Parti inſinuanda, non eâdem aliquando die exhibita ſint Parti, quâ Illuſtriſſimo D. Legato fuerunt inſinuata, vtra dies in Actis conſignanda.*

Poſt hæc intra priuata Conclauia ſeorſim Partes ſingulæ moratæ, quoad horâ vndecimâ Catholici in maiorem Aulam proceſſerunt, quò etiam ſuperuenit Illuſtriſſimus D. Legatus, & mediâ horâ poſt, reliquis omnibus congregatis, & Liquidatio Doctrinæ cœpta proponi. Primo loco, à parte Catholicorum R. P. Gregorius Schönhof Soc: Iesv, *de ſcripto legit Liquidationem Doctrinæ Catholicæ, quæ 13. Septembris Actis inſerta eſt.*

Poſt modum D. Ioannes Bythnerus Reformatorum P*ræſes, petijt, vt ſuæ quoq;* Partis Declaratio *ſpecialior Doctrinæ palàm legeretur, quod cùm Illuſtriſſimus D. Legatus, cum Illuſtriſſimis* DD. Deputatis *annuiſſet, ea Declaratio per D. Chriſtophorum Pandlowski eiuſdem* P*artis Notarium, recitata eſt.*

Quâ finitâ, Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Samogitiæ Catholicorum Præſidēs, ſolenniter proteſtatus eſt, quòd lecta Declaratio DD. Reformatorum contraueniret menti & Inſtructioni S. R. Maieſtatis, & quòd cum iniuria & offenſa Eccleſiæ Catholicæ coniuncta ſit.

Hic, Illuſtriſſmus D. Legatus proteſtatus eſt, eam Declarationem non eſſe ad mentem S. R. Maieſtatis, & ſui muneris eſſe Inſtructionem

S R.

S. R. Maieſtatis interpretari. Debuit enim quiſq; liquidare Doctrinam ſuam, id eſt, dicere hoc credo, hoc non credo; *dicere verò, ego hoc abominor, vel damno Eccleſiam Catholicam, non eſt Liquidatio, ſed* Paſquillus, *& niſi hæc expungantur, contra proteſtor S. R. Maieſtatis nomine, nè Actis inſeratur.*

Ad hæc Illuſtriſſimus D. Chelmenſis. Mens S. R. Maieſtatis eſt, vt quælibet Pars explicet, quæ credit; proinde Scriptum hoc menti S. R. Maieſtatis ſatisfacit, quia proponimus in eo fidem partis Reformatæ, vt ſciatur quid credat, quid non credat. Quod ſi aliqui verba Antichriſtianitatis accuſant, illa ita generaliter poſita ſunt, vt neminem meritò offendant. Rogo nè mentibus audientium hæreat, Paſquillum *eſſe, quia non fuit intentio lædendi, ſed ſeceſſionis noſtræ cauſas exponendi. Hoc enim tempus, hic locus eſt, id oſtendendi: quando remouemus ea, in quibus diſſentimus, officium noſtrum facimus. Proinde rogamus, vt Scriptum hoc interpretationi æquiori ſubiaceat, & Actis inſcribatur, vti porrectum eſt. Ea enim conditio æqualitatis eſt, vt ſi vnius Partis Acta inſcribantur, etiam alterius inſcribantur; ſi aliter fiat, proteſtamur æqualitatem violari, & S. R. Maieſtatis intentioni non ſatisfieri; illud etiam addimus, quòd Acta nondum ſunt ſubſcripta, quemadmodum neceſſarium fuit, ſi ita pergatur, manifeſtamus nos vlteriùs non progreſſuros, niſi Acta præterita ſubſcribantur, & tandem finis imponatur ſcriptionibus præteritorum geſtorum.*

Ad hæc Illuſtriſſimus D. Legatus reſpondit, vnus ego hîc ſum Legatus S. R. Maieſtatis, qui mentem S. R. Maieſtatis exploratam habeo, & declarare debeo, mihi concredita eſt manuductio ſeu Inſtructio S. R. Maieſtatis, nemini præterea. Quod ad æqualitatem attinet, nemini maior quàm nobis inæqualitas facta eſt, de qua etiam proteſtamur. Cùm nos ſummâ Charitate procedamus, vos iniuriam reponitis, & imponitur nobis id, quod anathematizamus, & quod Theologi noſtri iam ante reiecerunt. Niſi caſtratum fuerit hoc Scriptum à calumnijs,

M non

Digitized by Google

non admittetur ad Acta. Hic Illuſtriſſimus D. Chelmenſis dixit, priùs fuiſſe confectam hanc Declarationem, quàm Catholici ſuam exhiberent. Quæ propoſuiſſent generalia eſſe, & optare ſe vt non agnoſcant pro ſuis, quæ ſibi dicunt imputari. Illuſtriſſimus D. Legatus reſpondit, D V. Illuſtriſſ: ipſa nuper in conclaui eandem mentem palàm explicuit, deteſtari ſe illud dogma, DEVM eſſe authorem peccati, eò quod ſibi imputetur. At in publico conſeſſu dicere, quòd Eccleſia ſit Antichriſtiana, Tyrannica, quid aliud eſt quàm ſeducere corda Innocentium. Illuſtriſſimus D. Chelmenſis dixit, verba tantùm eſſe generalia, quæ cuiuis Eccleſiæ applicari poſſunt.

Hic Illuſtriſſimus Epiſcopus. Quem ergò arguunt hæc verba niſi nos? Tum Illuſtriſsimus D. Legatus: præuidebam ego & præcauebam hæc, proinde nè in publicum cum tali ſcripto venirent, rogaui. Et tamen venerunt cum Antichriſto, cum Doctrina, non tam noſtra, quàm ſua: Illi enim ſunt Antichriſti, qui Chriſti Doctrinam oppugnant, & Vicarium Chriſti non agnoſcunt. Hoc ego Scriptum nomine S. R. Maieſtatis nequaquam admittere poſſum, vnicum eſt S. R. M. deſiderium, vt Pax coaleſcat, quomodo verò tum tantis calumnijs coaleſcet? nos nihil horum dicimus, & tamen nobis affinguntur, quæ deteſtamur, nec tantùm Catholici taxantur, ſed etiam Auguſtani, mirum quòd non Mahometani, & alij.

Illuſtriſſimus D. Chelmenſis iterum dixit: generalia tantùm propoſuimus, remouemus calumnias, & certas propoſitiones ſtatuimus, quid credamus, quid non credamus.

Illuſtriſſ: D. Legatus. Quid verum, quid falſum ſit, ſecundâ Actione oſtendi debuit; nunc enim non quærimus, quid non credant, ſed quid credant. At verò per oppoſitionem retorquere in nos quæ deteſtamur, eſt calumnias iactare. Illuſtriſſ: D. Chelmenſis: Non video inquit calumnias. Illuſtriſſ: D. Legatus. Et quidem tales ſunt, quales veſtri Prædicantes ex Cathedra proferre ſolent, quibus decipiant homines. Hoc enim ipſis in vſu eſt. Illu-

Illuſtriſſimus D. Chelmenſis. Deliberabimus quid faciendum ſit, hunc tamen caſum inopinatum in arena decidere non poſſumus, neq; iam capita conferre.

Deniq; Illuſtriſſimus D. Legatus: Nunquam fuit hæc mens S. R. Maieſtatis, vt hoc loco & tempore proſcindatur Eccleſia, in qua Rex ipſe Sereniſſimus natus eſt, & quam defendit, pro qua nos quoq; vti & Maiores noſtri ſanguinem perfundere parati ſumus. Quod tibi imputatur amoue, non abominare Concil. Trident. Neq; enim prædicantium eſt de Concilio hoc agere, hoc noſtrorum Theologorum eſt, illi de Conſenſu ſuo Sandomirienſi, & alijs eiuſmodi, tractent.

Tandē ſoluta eſt Seſſio ad deliberationē DD. Reformatorū expediendā.

Decimâ octauâ Septembris.

Ex conſenſu omnium Partium, horâ 3. pomeridianâ conuenerunt DD. Notarij ad relegenda Acta præteritarum Seſſionum.

SESSIO XV.

Decima nonâ Septembris.

In hac Seſſione exhibuerunt ſibi inuicem DD. Catholici & DD. Auguſtani ſcripta, ſequentis tenoris.

Scriptum DD. Auguſtanorum.

Ad replicam DD. Catholicorum 12 Septemb: exhibitam, Reſponſio.

QVâ I. Quæſtioni interlocutoriæ de quantitate & qualitate Conciliorū, ex quibus liquidari poſsit vniuerſa Doctrina Catholica, per exhibitionem principij liquidationis DD. Catholicorū, plenè ſatisfactum eſſe minimè agnoſcunt Aug. Confeſſ. Profeſſores: quādoquidem in exhibitione illius principij, neq; quoad qualitatem declaratum fuerit, quidnam intelligatur per legitima, aut legitimè

 appro-

Digitized by Google

approbata Concilia, vel in quonam legitimitatem aut approbationem legitimam Conciliorum, conſiſtere velint DD. Collocutores: neq; quantitas numerica, & excluſiua Conciliorum in liquidatione vnicè adhibendorum ſatis expreſſa, vel definita ſit.

Quâ 2. Nunquam nos argumentantes audiuerunt DD. Catholici, à propoſitione vniuerſali affirmatiua ad excluſiuam; quanquam argumentatio eiuſmodi omninò legitima ſit, cum Vniuerſalis affirmatiua eſt reciproca. Nec enim vſpiam ex eo, quòd omne id pro ſuo agnoſcere ſeſe profeſsi ſint DD. Catholici, quod in Concilijs expreſſum eſt, collegimus, eoſdem id ſolùm pro ſuo agnoſcere velle; ſed cùm indicauerint in ſcripto die 9. Septembris nobis oblato, Concilium Tridentinum complecti totam & integram Doctrinam eorum articulorum, de quibus liquidandis laborandum, idemq; eſſe totius Orthodoxæ Doctrinæ, ſenſuumq; Partis Catholicæ compendium legitimè hinc concluſimus, DD. Catholicos, id ſolùm agnoſcere ad totalitatem, & integritatem Doctrinæ ſuæ pertinere, quantùm ad Controuerſos Articulos, idq; ſolùm admittere, ceu partis ſuæ ſenſum, quòd expreſſum eſt, in Concilijs imò id ſolùm, quod in vno Concilij Tridentini Codice exprimitur. Iure ergo meritoq; poſtulauimus, vt DD. Catholici teſtarentur, id quòd in denominatis Concilijs definitum non eſt, non eſſe Partis ſuæ ſenſum, non Catholicum; quod ſi facere dignabuntur prout æquum eſt, ſimiliſq; atteſtatio à nobis edita iam eſt, non opus erit illa quæſtione quænam ſint illa dogmata, quæ quamuis in Concilijs definita non ſunt, admittuntur tamen à DD. Catholicis tanquam fidei dogmata. Nulla quippè ampliùs dogmata relinquentur, de quibus liquidandis laborandum, omnia in Concilijs definita erunt, imò in ſolo Concilio Tridentino, definita omnia. Cæterùm cùm abundè nobis conſtet, nec diffiteri queant DD. Collocutores, multa alia dari capita Doctrinæ, quæ in Catholica Eccleſia propugnantur, in Noſtrate verò Eccleſia ne-

gan-

Digitized by Google

gantur, extra & præter illa, quæ in Concilio Tridentino, aut quæ in omnibus deſignatis Concilijs ſimul ſumptis expreſſa ſunt, ipſa neceſsitas requirit, vt DD. Catholici alia liquidationis media, quæ ſeſe habere profitentur ediſſerant, eaq́; rotundè, adæquatè & plenariè definiant, non poſitiuè tantùm, ſed etiam excluſiuè, quemadmodum id, rotundè adæquatè plenariè, & excluſiuè à nobis factum eſt, vt nempè pariter conſtare poſsit, illa ſola eſſe ſymbola partis Catholicæ, ex illiſq́; ſolis doctrinā eiuſdem iudicandā eſſe. Quod ſi recuſauerint ad liquidationem Doctrinæ, accedere minimè poterimus, deſtituti ſcilicet totali, & adæquato medio liquidationis, nec enin in DD. Catholicorum arbitrio ſitum eſt, tale nobis, vel indicare vel denegare medium, ſed cum ad liquidationem id requiratur, neceſſarium omninò eſt, vt deſignent totalia & adæquata media, tenenturq́; illud præſtare DD. Catholici iuxta præſcriptum Regium, quod requirit omnia, & ſingula Controuerſiarū Capita eodem modo liquidari § 6 & § 7.

Quoad 3. Non eſſet alienum circà adhibitam iſtam diſtinctionē quærere, quaſnam leges & Canones intelligant DD. Catholici, iuxta quos legitimè agi Concilia cenſeant, & quî fieri poſſit, vt Concilia generalia legitima, vel legitimè celebrata, iuxta ſenſum Partis Catholicæ, hoc eſt Authoritate Romani Pontificis, eoq́; ſiue per ſe, ſiue per Legatos ſuos præſidente non approbentur à Romano Pontifice, niſi admittatur eundem ſibi ipſi aduerſum fore, aliud ſcilicet in Concilio, & cum Concilio definiendo, aliud finito Concilio ſeparatim ſtatuendo. Sed iſtis miſsis, petimus ſolùm, vt ſeſe citra vlteriorem moram declarent DD. Catholici, quod & quænam Concilia præter allegata pro legitimis legitimeq́; approbatis agnoſcant. Quandoquidem doctrinam ſuam profeſſi ſunt eam eſſe, quæ in Concilijs legitimis, & legitimè approbatis exprimitur. Quapropter neceſſum eſt, vt quot & quænam illa ſint legitima, legitimeq́; approbata Concilia, plenè definiatur, nullo

Digitized by Google

præterito, vel prætermiſſo: Cum in prætermiſsis alia poſſint haberi capita, & dogmata Fidei, quàm in deſignatis: quod vtiq; non diſsimulant DD. Catholici, cùm deſtitutos nos eſſe totali & adæquato Liquidationis medio aſſerunt; vnde relinquitur illa ſola, quæ deſignarunt Concilia non eſſe totale, & adæquatum Liquidationis medium, ex illis ſolis non poſſe totam doctrinam Partis ſuæ adæquatè haberi, nedum è ſolo Tridentino Concilio: Quod præterea minimè continere, ea omnia, quæ inter nos, & DD. Catholicos controuerſa ſunt, vel ſolo exemplo inſtitutionis, authoritatis, & poteſtatis in rebus Eccleſiaſticis, itemq́, ſæcularibus Summi Pontificatus, vt multa alia taceamus conſtat.

Quoad 4. Non implicat in Concilijs quædam eſſe DD. Catholicis propria, quæ non ſint, vniuerſis per Orbem fidelibus de iure cōmunia, ſupponitur enim immerito, id quod iam in quæſtione verſatur, nimirum quod DD. Collocutores verè Catholici ſint. nec quidquam aliud credant, vel doceant, præterquam quod vniuerſi per Orbem Fideles.

Joannes Hülſemannus D. & Moderator Theol: Aug: Conſ: Inuar. m. p.

SCRIPTVM DD. CATHOLICORVM.

Vltima Reſponſio DD. Catholicorum ad Scriptum DD. Auguſtanorum,

Die 15. Septemb: exhibitum.

Ad § Primum.

HActenus certè mentem præſentium DD. Collocutorum indubitatò ſcire non poteramus, quos ipſi libros, vel quæ ſcripta habere vellent pro ſymbolicis, neq; ſufficere poterat illa particula excluſiua, *Vnicè*, principio addita, vt quaſdam nobis dubitationes eximeret, & ſuppoſitiones noſtras, quas arbitramur certiſsimas ſuſq; deq; verteret. Suppon:bamus enim certò.

1. Acce-

1 Acceptari à Dominis Collocutoribus, non tantùm Symbolum quatuor primorum Conciliorum, & decreta quinti & ſexti Concilij ſed tota & integra Concilia, & ſaltim prima illa quatuor Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe.

2. Acceptari certos eoſq; celeberrimos conuentus, quos in Germania Electores, Principes, & ſtatus Proteſtantium, ſiue Auguſtanæ Confeſsionis, vnâ cum eorundem Theologis, diuerſis locis & temporibus, de rebus Fidei inter ſeſe habuerunt, eoſdemq; publica authoritate ſuâ confirmarunt.

3. Acceptari conſenſum Sendomirieñ. Cracouieñ. Vladislauieñ. Thorunieñ. exemplo maiorum ſuorum Auguſtanæ Confeſsionis, quorum ſubſcriptiones in ipſo conſenſu cernimus, & perpetuâ praxi ad præſens hoc vſq; tempus vigorem habuiſſe in hoc Regno animaduertimus: de proteſtationibus autem ſolenniter & communiter à tota Eccleſia Auguſtana contrafactis nihil nobis authenticè conſtare potuit.

4. Acceptari corpus Pruthenicum, cùm à tota Pruſsia Ducali habeatur pro libro ſymbolico, & omnes qui vel ab Academia Regiomontana ad honores facultatum promouentur, vel à Conſiſtorio ad Miniſterium per Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lituaniæ, atq; alias Regni Prouincias mittuntur, Conſcientiam ſuam iuramento, ſuper eodem Corpore obligare teneantur.

5. Acceptari ſcripta Lutheri tanquam primi Auguſtanæ Confeſsionis Delineatoris, & Supremi Interpretis, ad quæ etiam tanquã ad normam Corpus Pruthenicum ſcriptum fuit, & explicandũ eſt.

6. Acceptari non ſolum articulos, qui in Auguſtana Confeſsione expreſsè nominantur, ſed etiam vigore pacis Religionis, in Germania factæ, alios articulos controuerſos, quos non exhibuerunt, quoſq; eos docere poſſe ſcripto publico teſtantur, nec obligatos fuiſſe omnes, & ſingulos articulos in ipſorum Confeſsione Auguſtana exhibere, ſed cum cauſa Religionis inter ipſos Status amore,

Digitized by Google

more, & beneuolentia amice deberet tranſigi, ideo illos nō omnes enumeraſſe abuſus & articulos, ad Religionem Auguſtanam pertinentes, ſed ſaltim exhibuiſſe Generalem Confeſsionem Cæſareæ Maieſtati, in qua capita doctrinæ, quæ potiſsimùm ad ſalutē ſunt vtilia comprehenderint, vt Sacra Cæſarea Maieſtas clarè percipere poſsit, nullam impiam doctrinam ab ijſdem permitti.

Hæc inquam certo certiùs ſupponebamus, interim porrigitur ad manus noſtras Principium, in quo ex adiecta particula excluſiua *Vnicè* intelligimus hæc omnia excludi, id eſt,

1. Non acceptari integra quatuor Concilia prima generalia, ſed tantùm Symbolum Fidei.

2. Non acceptari Decreta Fidei, præter ea quæ ſunt Concilij Conſtantinopolitani ſecundi & tertij, & duorum Conciliorum particularium.

3. Non acceptari celeberrimos Confeſsioniſtarum Auguſtanorum Conuentus, Decreta, Statuta.

4. Non acceptari conſenſum Sendomirienſem, &c.

5. Non acceptari Corpus Doctrinæ Pruthenicum.

6, Non acceptari ſcripta Lutheri.

7. Non acceptari articulos à Confeſsioniſtis extra Confeſsionē reſeruatos. Non potuimus non mirari, & cùm vehementer inter pugnantes hinc inde cogitationes luctaremur dubij & ancipites, quid præſentes DD. Collocutores in pectore gererent, expreſsè & ſpecificè de ſingulis interrogandum eſſe decreuimus, vt ipſi quoq; expreſsè & ſpecificè, ſuam nobis ſententiam explicarent. Quod quia iam diſertis vtcunq; verbis (non tamen diſertiſsimis) faciunt, pro pleno reſponſo accipimus, & deinceps interrogationibus hac ſuper re parcemus, impetraturi fortaſsis à DD. Auguſtanis, vt tandem aliquando tractatibus hiſce præliminaribus finem velint imponere, & pretioſum hoc tempus Principali negotio donare.

Ad

Ad 2 Secundum & Tertium.

PEtunt nominari & determinari à nobis principium liquidationis, ex quo *Vnicè* dijudicari poſsit de noſtro Catholico ſenſu. Fecimus abundè, iterumq; faceremus, niſi obſtarent ipſi vetarentq; DD Collocutores Auguſtani. Dicebamus principium, ſeu medium, ex quo dignoſci velimus, quænam dogmata cenſeri debeant Catholica, eſſe conſenſum in Eccleſia noſtra omnium Paſtorum & Doctorum. Neq; quidquam dici poterat ad rem aptiùs. 1. Quia hoc agebamus, vt certum Criterium & quaſi characterem deſignaremus, ſenſus noſtri, nomine, & re Catholici, quem non aliunde aſſumendum putauimus, quàm ab ipſa forma & ratione *Catholici*, quæ eſt doceri ſemper, vbique, ab omnibus. 2. Quia ad diſcernendam propriam cuiuſq; Eccleſiæ Doctrinam nihil eſſe poteſt certius quàm conſenſus. Nam ſi illa Doctrina nõ eſt propria, quæ eſt omnium, quæ tandem erit propria? 3. Conſenſus eſt medium liquidationis facillimum, & omnibus obuium, & ex quo ferè ſolo maxima pars fidelium Eccleſiam ſuam diſcernit ab extraneis congregationibus. 4. Quia cætera principia liquidationis quæcunq; aſsignari poſſunt, & ſolent à conſenſu, magnam vim habent, & interdum totam. Quod oſtendo primùm in noſtris, tum in ijs, quæ deſignata ſunt ab DD. Auguſtanis. Noſtra principia ſunt, Concilia approbata, & decreta Pontificum. Concilia verò quid aliud ſunt quàm Paſtorum, & Doctorum conſenſus? Anima certè omnium definitionum, & decretorum in Concilijs latorum eſt conſpiratio capitis, cum toto corpore Eccleſiæ, & totius Corporis, cum Capite, de quo aliâs. Iam verò Decreta Pontificum, quæ hactenus extant, illa tantùm ligandi vim habent, quæ ex omnium conſenſu habentur, pro decretis Fidei. Hæc de Noſtris Principijs. Quid de Veſtris? Principem in his locum tenet Auguſtana Confeſsio. Obſecro vnde codicillus ille ſortitus eſt tãtam vim, & Authoritatem, vt ſit quaſi vnica Veſtræ Congregationis

onis

Digitized by Google

onis Teſſera? Non aliunde profectò, quàm ex vnanimi Conſenſu, ſiue eorum qui primi Confeſsionē Cæſari obtulerunt, ſiue eorū, qui eam deinceps amplexati ſunt.

Ex his rationibus vehementer mirari debuimus DD. Collocutores Auguſtanos principio huic, tam eſſe infeſtos ſine quo licuiſſet nobis abijcere omnia fere principia liquidationis ab ijſdem propoſita. Inueniſsemus enim facilè aliquem eumq; non leuem eorum, etiam qui ſe Auguſtanos vocant circa eadem diſſenſum. Nam 1. Non omnes Auguſtani recipiunt ſolum Symbolum quatuor Conciliorum, ſed plerumq; integra quatuor Concilia. 2. Nō omnes recipiunt ſola decreta ſecundi Concilij Conſtātinopolitani. 3. Non omnes ſe alligant ad ſolam Confeſsionem Auguſtanam Inuariatam. 4. Non omnes reſpuunt Synodos Confeſsioniſtarū. 5. Non omnes abijciunt conſenſum Sendomirienſem. 6. Non omnes repudiant Teſtimonia Lutheri. 7. Non omnes conueniūt circa Articulos vltra Confeſsionem reſeruatos. Hunc ergo Diſſenſum obijcere poteramus, & importunè poſcere, vt oſtenderent liquidoq; nobis probarent, ſuū cum omnibus Confeſsioniſtis Auguſtanis Conſenſum in ijs principijs ex quibus *Vnicè* liquidari volūt ſuā Doctrinā; ſed nos inutiles moras & tricas nectere noluim⁹.

Redeo ad id quod cœperam dicere, facilè DD. Collocutores à nobis obtenturos fuiſſe principium liquidationis, ex quo *Vnicè* de noſtro Catholico ſenſu diiudicare potuiſſent, niſi ipſi per plurimas obtenſiones obſtitiſsent dixiſſemus vno verbo. *Iudicate de noſtro ſenſu ex conſenſu omnium, qui ſunt in Eccleſia Catholica Romana, hoc noſtrum eſt quòd omnes amplectuntur, vt dogma Fidei, ſiue definitum ſit à Concilijs, vel à Summis Pontificibus, ſiue non. Hoc Vnicè noſtrum eſt.* Et ecce confecta res eſſet lucratiq; fuiſſemus plus quam octiduum pro tractando negotio principali. Iſta remora non potuit nobis non eſſe dolori, maximè quòd obtenſiones illæ tam nullius eſſent momenti, vt vix fieri poſſe crederemus, non ad-

uer-

Digitized by Google

uertiab ipſis DD. Collocutoribus. Dicam de illis obtenſionibus ad ꝗ vltimum.

Hoc poſito nec de Concilijs, quæ ex liberalitate cauſæq; fiducia obtulimus, nec de Pontificum decretis, quæ offerre parati eramus, mota fuiſſet quæſtio, & nouæ tricæ de Concilijs in genere, eorũq; legitimitate, de ijſdem in ſpecie, & præcipuè quænam illa ſint, quæ adhiberi volumus, & an ſola ſeu *Vnicè*? non pigebit, quæ ſuperiori ſcripto diximus breuiter repetere.

1. Quoad legitimitatē. Legitima Concilia diximus, quæ iuxta leges ſeu Canones Eccleſiæ celebrata, expreſſâ vel tacitâ Summi Pontificis approbatione obſignātur. Quænā illæ leges ſint, quæué vſitatæ praxes, quæ ad inſtar legum ſunt nō eſt præſentis loci: illud nuper obſeruauimus fieri poſſe, vt Concilium legitimè conuocetur, non tamen legitimè procedat, aut certè quædam legitimè tractet, in paucis tamen deficiat: in quo caſu nihil mirum erit, ſi Pontifex quædam approbet, quædã reprobet, aut penitus nihil approbet. Sed hæc aliâs.

2. Quoad numerum. Indicauimus locum ex Gratiano & Bellarmino cuiuis obuio vbi nominatim omnia numerantur, & qualificantur 24. generalia, 24. particularia. Ex illis licebit DD. Collocutoribus Doctrinæ, ſenſuſq; noſtri Teſtimonium, eruere.

3. Ex hisnè *Vnicè*? Si petitur de tota noſtra Catholicorum Doctrina prout comprehendit, omnes articulos ſiue controuerſos iam, ſiue non controuerſos, tum reſpondemus; illa Concilia non poſſe ſtatui tanquam principium, ex quo *Vnicè* ferendum ſit iudicium de noſtra Doctrina. Quia multa docentur Catholicè, quæ in Concilio definita non ſunt, quòd fateri debent, etiam ipſimet DD. Collocutores de ſua Confeſsione Auguſtana, alijſq; principijs à ſe propoſitis, nam & ipſi multa docent, tanquam dogmata fidei de DEO, de CHRISTO, de Iuſtitia, de Sacramentis, &c. quæ in illis definita non ſunt, contenti ſolis teſtimonijs ſcripturarum. Itaque quem-

quemadmodum DD. Collocutores agnoſcent non benè conuerti, *Omnia quæ continentur in Confeſsione Auguſtana, creduntur à Confeſsioniſtis Auguſtanis, ergo omnia quæ creduntur à Confeſsioniſtis Auguſtanis continentur in Confeſsione Auguſtana.* Ita non conuertitur, *Omnia, quæ continentur in prædictis Concilijs creduntur à Catholicis, ergo omnia quæ creduntur à Catholicis continentur in prædictis Concilijs.* Ex quâ obſeruatione nuper notauimus DD. Collocutores, non rectè à nobis requiſiuiſſe, vt fateremur nõ eſſe Catholicum quidquid in Concilijs definitum non eſt, & tamen in Polonia docetur vel practicatur. Procedebat ea requiſitio ex illa ſuppoſitione, quòd ſtatuiſſemus principium liquidationis noſtræ, Concilia. Inde, acceptare ſe dicebant, quòd nihil agnoſcamus, tanquam doctrinam noſtram, niſi quod, extat in Concilijs. Hoc verò nihil aliud erat, quàm vel falſum ſupponere, vel aliquid non legitimè inferre. Vel enim ſupponebant nos conceſsiſſe Concilia, tanquã principia adæquata totius noſtræ doctrinæ, & hoc fuit falſum: quòd optimè ſciebant DD. Collocutores ex præhabitis de eadem re in conclaui conferentijs, in quibus ſemper ad complementum principij adæquati, apponi voluimus conſenſum Præſentis Eccleſiæ, quem quod DD. Collocutores, non admitterent, non ideò voluimus ſola Concilia eſſe principium adæquatum. Vel ſi id non ſupponebant, facilè aduertere poterant conſequentiam, quàm tacitè innuebant, non eſſe legitimam ab vniuerſali affirmatiua ad excluſiuam.

Quòd ſi petitur, num Concilia prænumerata ſtatuantur à nobis pro Principio liquidationis, vt ex ipſis *vnicè* feratur iudicium de ijs Doctrinæ capitibus, quæ inter nos, ex vna parte, & inter Profeſſores Auguſtanæ Confeſsionis, ex altera parte, ſunt controuerſa? Tum reſpondemus, adhibitâ iſtâ limitatione ſufficere Concilia prænumerata, vt ex ipſis *vnicè* liquidetur noſtra Doctrina: ſperamus enim nihil allatum iri ex tota Doctrina, quâ ab Auguſtanis diſcre-

Digitized by Google

diſcrepamus, quod ex aliquo prædictorum Conciliorum liquidari ex noſtra parte non poſsit. Imò hoc ipſum de ſolo Concilio Tridentino promittere auſi ſumus, quod proinde pro toto tractatu commendatiſsimum nobis eſſe volemus, & tanto quidem libentiùs, quod vti aliâs dicebamus, complectatur, ad inſtar compendij omnium ſuperiorum Conciliorum præcipuas pro controuerſijs noſtri temporis doctrinas; ex quo capite non poterit non eſſe commendatum etiam ipſis DD. Collocutoribus Auguſtanis, qui in tanto numero, aliorum Conciliorum conqueri fortaſsè potuiſſent de numero & mole tot voluminum, propter vnum interdum Articulum euoluendorum: iam verò ſummatim procedent omnia in exiguo codicillo.

Ad § Vltimum.

TOtus hic § verſatur in impugnando principio, quod obtuleramꝰ ſumpto ex conſenſu omnium Paſtorũ & Doctorum. Conantur enim oſtendere DD. Collocutores, incertum eſſe & inutile ad dogmata verè Catholica indaganda. 1. Probant quia de pleriſq; Catholicorum Articulis, procliue eſt oſtendere, non haberi vnanimem conſenſum in Eccleſia Romana, cum pleroſq; præcipui Paſtores & Doctores, citra cenſuram Eccleſiaſticam impugnent.

℟. 1. Si ſermo ſit de Articulis, ſeu dogmatibus Fidei præcipuis, & maioris momenti fidenter dico, nec vnum ab Auguſtanis nominari poſſe, in quo non detur vnanimis ille conſenſus Paſtorum & Doctorum, & immeritò nobis imputari, quod præcipui Paſtores & Doctores talia dogmata impugnent, nè dum quod citra cenſuram Eccleſiaſticam impugnent, quod in loco euidenter cõmonſtrabimus. Scio falli ſæpè Scriptores Auguſtanos, vt aliquid nobis adſcribant, tanquam dogma Fidei, quod reuera non eſt, ſed vel opinio, vel alterius rationis perſuaſio; ſæpè cùm in modo explicandi, definiendi, probandi, aut ſimilibus diſcordant, in dogmate diſcordare exiſtimant, ſæpè cùm vnus quiſpiam, vel pauci probabi-

Digitized by Google

babiliter & vt probabile, vel vt certum ex ſua priuata ſententia, aliquid eſſe de Fide docent, illi temerè arripiunt, & vniuerſim à Pontificijs doceri aſſerũt id eſſe de fide, & tamẽ ſciũt ab alijs doceri contrarium: ſæpè aliter atq; aliter nobis aliquid, tanquam Fidei dogma, & dogmatum diſſonantiam impingunt, confundentes dogmata Eccleſiæ, cum dogmatibus ſcholæ, publica cum priuatis, vniuerſalia cum particularibus, definita cum non definitis: ſed quemadmodum non ideo confligunt quædam ſydera, quia ab oculo in terris poſito cernuntur quodammodo cõfligere, ita nec nos pugnamus, quia putamur pugnare.

℞ 2. In Articulis ſeu Dogmatibus obſcurioribus, & non ita magni momenti fieri aliquando poſſe, vt aliquis à communi Paſtorum & Doctorum conſenſu deſciſcat, idq; altero ex duobus modis, puta 1. cum pertinacia erroris aduertendo, ſe ſentire contra Paſtores & Doctores ſuæ Eccleſiæ, atq; etiam damnando eoſdem erroris. 2. Sine pertinacia erroris, ſed ex ignorantia vincibili, vel inuincibili, ita vt non aduertat ſe aduerſari Paſtoribus, & Doctoribus, atq; ſenſui communi ſuæ Eccceſiæ, paratuſq; ſit deponere priuatam ſuam perſuaſionem, ſi intelligat ſuam ab Eccleſia (quã credit eſſe veram) diſcrepantiam. Neutra diſſenſio vnius vel aliquorum officit conſenſui Catholico.

Non prima: quia qui ita diſſentit in dogmate Fidei, eo ipſo eſt Hæreticus, & diuellit ſeipſum ab Eccleſia, iamq; ampliùs non eſt membrum Eccleſiæ per internum ſpiritum Fidei: vnde propter ipſius, tanquam extranei diſſenſionem, vel contradictionem, non cenſetur diſſentire Eccleſia. Ipſe enim ſolus, aut cum alijs paucis, non effert Eccleſiam extra Eccleſiam.

Non ſecunda 1. Quia aliâs in nulla Eccleſia eſſet poſsibilis conſenſus Catholicus. Neſcio an gloriari velint Confeſsioniſtæ Auguſtani, nullum penitus eſſe inter ſuos, qui ignoret aliquid, quod ſufficienter Diuinitus reuelatum eſt, Recolamus exempla maio-

maiorum, in ipſamet primitiua Eccleſia reperiemus aliqua fuiſſe ignorata. Nonnè Scriptores Auguſtani mille tales næuos obſeruaſſe ſe putant in SS. Patribus, & tamen non audent dicere corrupiſſe conſenſum Catholicum. 2. Quia ad conſenſum Catholicum, non opus eſt vt conſentiant *Omnes* Mathematicè, ſeu numericè, ſed ſufficit quod conſentiant *Omnes* Moraliter: quòd non noſtri tantùm, ſed Auguſtani quoq; Scriptores docent, & inter ſuos non infimi nominis Horneus de ſufficientia ſcripturæ pagina 249. vbi approbat ſententiam Valentiæ his ipſis verbis. *Per concordem (inquit) ſententiam Patrum, non intelliguntur Omnes Mathematicè, id eſt, nullo excepto, ſed moraliter, vt omnes ij cenſeantur, quorum authoritatis pondus tantum eſt circumſtantijs omnibus conſideratis, pietatis, multitudinis, &c. vt à prudentibus eorum ſolùm ratio haberi debeat, neglectis cæteris, quaſi nihil ſint, ſi cum illis conferantur.* 3. Quia hoc habet mos omnium gentium dicentium *Omnes* aliquid agere, ſi maior vel maxima pars agat, eſto pauci non agant. Ita dici ſolet, quòd confluxerit omnis Ciuitas, quòd omnes Milites in exercitu cæſi, omnes Ciues cõſentiunt, &c. 4. In Conciliis Generalibus ſæpè contingit vix aliquot centena Epiſcoporum colligi, nec poſsibile eſt, vt ex orbe vniuerſo colligantur omnes, & tamen dicuntur conſentire *Omnes*. 5. Ille qui priuatim diſſentit, errat errorem particularem, & ſimul corrigit eundem fide Generali. Errat v. g. Credendo Spiritum S. non procedere à Filio, & corrigit eundem credendo, quidquid credit vera Chriſti viſibilis determinata Eccleſia. Per hanc enim fidem Generalem retractat quodam modo errorem particularem, natum ex ignorantia, paratus eundem deſerere, ſi rectiùs de ſenſu Eccleſiæ informetur: vnde non cenſetur errare formaliter contra fidem, ſed tantùm materialiter. Ille enim formaliter errat contra fidem, qui diſſentit à veritate cognoſcens eſſe ab Eccleſia propoſitam, contemnendo Eccleſiam, quàm potuit & debuit cognoſcere

eſſe

Digitized by Google

eſſe veram Chriſti Eccleſiam;ille materialiter errat contra fidẽ,qui diſſentit quidem à veritate, paratus tamen eſt eidem conſentire, quàm primùm agnouerit Eccleſiam, & intellexerit veritatem illã ab Eccleſia eſſe propoſitam. Propter quam præparationem animi, & virtualem retractationem particularis erroris, cenſetur Moraliter conſentire Eccleſiæ. Non ergo deſtruit talis priuatus diſſenſus, conſenſum Eccleſiaſticum, & Catholicum. Atq; adeo non facit inutile noſtrum principium.

Dicunt, Diſſenſus formalis & explicitus, per virtualẽ, & Hypotheticam conſenſionem moralem, cum Eccleſia non conciliatur. 1. Quia apertè diſſentiens, conſentire, manente eodem obiecto, dici non poteſt citra contradictionem. 2. Quia mente comprehẽdi non poteſt, quomodo in hoc, vel illo doctrinæ capite, in quo manifeſtus eſt quorundam Doctorum diſſenſus, dici poſsit omniũ Doctorum conſenſus. 3. Vincentius Lyrinenſis dicit id eſſe Catholicum, quod vbiq;, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. 4. Propoſitum ſubmittendi ſe iudicio Eccleſiæ efficere non poteſt, vt contradictio formalis, deſinat eſſe contradictio formalis. 5. Nullus diſſentiens ſupponit ſe diſſentire ab Eccleſia, quam credit veram Chriſti Eccleſiam.

℞. Nego quòd conſenſus ille generalis, ſeu virtualis, non conciliet cum Eccleſia eum, qui per ignorantiam, vel per errorẽ vincibilẽ, aut inuincibilem diſſentit ab Eccleſia; quia cõſenſus ille generalis, ſeu virtualis, facit vt ita errãs, non erret formaliter contra fidem, ſed tantùm materialiter, vt paulò ante dictum eſt.

Ad primam probationẽ. Apertè diſſentiens, non poteſt dici conſentire per illam fidem particularem, quâ diſſentit; poteſt tamen dici conſentire per fidem Generalem, quâ vniuerſaliter credit quidquid credit Vera Chriſti Eccleſia. Ad 2. benè poteſt mente comprehendi, quomodo dicantur *Omnes* conſentire per fidem ſaltem generalem, & tamen quoſdam diſſentire per errorem particularem

oppo-

Digitized by Google

oppoſitum quidem veritati, quæ eſt de fide, non tamen oppoſitum eidem veritati, in quantum eſt de fide, id eſt, in quantum veritas illa intelligitur, propoſita ab Eccleſia. Hæc enim oppoſitio non tollit vniuerſalitatem *Omnium* moralem. Ad 3. Vincentius id dicit eſſe Catholicum, quod creditur ab omnibus ſecundùm vniuerſalitatem moralem. Ad 4. Propoſitum ſubmittendi ſe iudicio Eccleſiæ non facit, vt inter duas propoſitiones ſibi contradicentes, deſinat contradictio formalis, ſecundùm quod vtraq; abſolutè eſt propoſitio; facit tamen, vt illa contradictio non ſit formaliter contradictio ſecundùm ratione͂ fidei, vt antedictum eſt. Ad 5. Vix fieri poteſt, vt aliquis credens hanc determinatam Eccleſiam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam, velit diſſentire ab eadem Eccleſia; poſito tamen caſu, ille formaliſsimè eſſet hæreticus: attamen ad hæreſim hoc non eſt neceſſarium; ſufficit ſi poſsit, & debeat agnoſcere veram Eccleſiam, & nolit per voluntariam excæcationem vel obdurationem, ei ſe iungere. Talis per fidem illam generalem, quâ credit quidquid credit vaga quæpiam, & indeterminata Eccleſia non reconciliat ſe veræ Chriſti Eccleſiæ: quia vera Chriſti Eccleſia, non eſt Eccleſia vaga & indeterminata, ſed certa & determinata, atq; vt ita dicam indiuidua, cui omnes ſe tenentur iungere. Vnde de tali hactenus locuti non ſumus, ſed de illo, qui cognoſcens veram indiuiduam Chriſti Eccleſiam credit, quidquid illa credit. Hunc dicimus in caſu, quo errat particulariter, & ita diſſentit ab Eccleſia, reconciliare ſe ipſum eidem Eccleſiæ per Fidem generalem.

℞ 3. Demus (quod tamen non damus) diſſenſum paucorum deſtruere vniuerſalitatem conſenſus Eccleſiaſtici, tamen conſenſus ille, quem in noſtris dogmatibus nos Catholici producere & probare poſſumus, ſufficit, vt intelligant DD. Collocutores, nos in plurimis ſaltem dogmatibus magno conſenſu pugnare cum Auguſtanis, imò in multis ita vniuerſaliter pugnare, vt nec vnus no-

minari poſsit Catholicus, qui cum Auguſtanis ſentiat, v. g. quòd Papa non ſit caput Eccleſiæ, quòd ſola Scriptura ſit regula credendi, quòd iuſtificatio fiat per Fidem ſolam, &c.

Cur ergo DD. Collocutores Auguſtani, audito iſto certiſsimo noſtrorum ab Auguſtanis diſſenſu, conferre de his nobiſcum, & iuxta intentionem S. R. M. agere, de tentanda via ad conſenſum nolunt? Deinde, ſi de alijs noſtris dogmatibus exiſtimant, non poſſe euidenter probari noſtrum vniuerſalem conſenſum, ſciãt, nos omnino perſuaſos eſſe, Auguſtanos longè minùs probare nobis poſſe vniuerſalem conſenſum eorum omnium, qui ſe vocãt Profeſſores Confeſsionis Auguſtanæ in ijs etiam quæ habentur expreſsè in Confeſsione Auguſtana: Et tamen nos illis ſimpliciter conſenſum illum affirmantibus, credimus: credant ergo & nobis, & de his, quæ ex noſtra aſſeueratione ſibi aduerſantia repererint, nobiſcum conferant.

Ad extremum, vt finem aliquando præliminaribus hiſce diſceptationibus imponamus, medium ſæpè indicatũ, iterũ atq; iterum ſuggerimus. Ordiamur à Concilio Tridentino, & Confeſsione Auguſtana, in quibus euidens eſt, quàm multa, quàmq; lata ſit inter nos & vos dogmatũ diſcrepantia. Illa aſſumamus, & ſingula capita confrontemus. Credite, copioſam nacti ſumus colloquendi materiam, ſi ſeriò rem agimus, & ſi DEVS vult, non minimo Chriſtianitatis commodo, nec deinceps plura. Agamus agenda, & ſeriò rem aggrediamur.

Georgius Tyſzkiewicz Epiſcopus Samogitiæ vti Præſidens Theologorũ Catholicorũ m. p.

SESSIO XVI.
Vigeſimâ ſecundâ Septembris.

In

In præſentia DD. Deputatorum, tam ex parte DD. Catholicorum, quàm ex parte DD. Auguſtanorum, Adm. R. P. Hieronymus à S Hyacintho, & Adm. R. D. Fridericus Meybohm Archipresbyter Elbingen: cauſas dederũt, ob quas DD. Auguſtanorum Confeſſio, 20 Septemb: poſt meridiem, Illuſtriſſimo D. Epiſcopo exhibita, à DD. Catholicis acceptari non poſſet, ſcilicet, quòd à præſcripto S. R. M. deflecteret, multa ſuperflua & impertinentia, quædam etiam iniurioſa continere videretur. Pleraq; D. Hülſemannus, ſpecialiter ad hoc vocatus, annotauit, dixitq; ſe in præſentiarum nihil refellere, quia mandatum refellendi non haberet, & petiit vt dubia hæc ſcripto porrigerentur, quod quidem ſcriptum a parte Catholica in ſuo conclaui nullo modo dandum, iam concluſum erat, ideoq; Deputati deſignati erant ad hæc dubia exponenda, qui & dixerunt difficile hoc partẽ Catholicam, quòd petebat D. Colloeutor facturam, nihilominus Illuſtriſ: D. Caſtellanus Gneſnen. obtulit ſuam operam agendi cum parte Catholica. His abſolutis, dimiſſa Seſſio, & in ſequentem diem indicta.

SESSIO XVII.

Vigeſimâ tertiâ Septembris.

Dubia in ſcripto, ab Illuſtriſſimo D. Caſtellano Gneſnenſi, DD. Auguſtanis expectárunt, & DD. Catholici reſponſum, quod à DD. Auguſtani ad propoſita dubia putabant ſibi dandum. Poſtquam autem Illuſtriſſimus D. Gneſnenſis à parte Cãtholica declaraſſet, nulla dubia ob certas cauſas in ſcripto danda eſſe, elapſo tempore, ſoluta eſt Seſſio.

SESSIO XVIII. PVBLICA,

Vigeſimâ quintâ Septembris.

Seſsio Publica in Aula Maiore, præſentibus omnibus Partibus. Principio Literæ SR.M. ad Conuentũ præſentem, lectæ ſunt, per Illuſtrem & A.R.D. Adamum Kos, S.R.M. Secretariũ, quarum tenor eſt.

VLADISLAVS IV. DEI GRATIA REX POLONIÆ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czerniechouiæq; Necnon Suecorum, Gotorum, Vandalorumq; Hæreditarius REX.

REVERENDE, MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILES, SPECTABILES, ERVDITI, Sincerè, & Fideliter Nobis dilecti.

Optaſſemus equidem, vt Colloquium præſens Thorunienſe, Authoritate Noſtrâ deſignatum, Præſide verò Illuſtri GEORGIO Comite in OSSOLIN, S R. Imperij Principe, Supremo Regni Cancellario, Lubomlenſi, Rycenſi, Adzeleñ, Capitaneo, & Legato Noſtro, feliciter inchoatum, eodem directore, vlteriùs, bonis auſpicijs continuaretur. Sed quia grauiſſima Reipubl: negotia muneri

neri ipſius incumbentia, id à Nobis efflagitant, imò cogunt, vt eundem ad Nos euocemus: is verò in locum ſuum Magnificum IOANNEM LESCZYNSKI Caſtellanum Gneſnenſem, quem acceptiſſimum Sinceritatibus & Fidelitatibus Veſtris fore exiſtimamus, ſubſtituat; Ideo Nos eandem ſubſtitutionem ipſius ratam & gratam habentes, illamq; Authoritate Noſtrâ Regiâ approbantes, amanter contendimus, vt Sinceritates & Fidelitates Veſtræ eidem Magnifico Caſtellano Gneſneñ, eximiâ prudentiâ, ſingulari dexteritate, rerumq; gerendarũ vſu conſpicuo, ijſq; virtutibus, quibus huic Sac. Congregationi ſatisfacere, dextreq; præſidere poſſit, ornato, munus hoc obeunti, ſtudia, fauoreſq; ſuos impendere, taliq; honore atq; beneuolentia excipere ac proſequi velint, qualem hoc ipſum munus illi ad præſens impoſitum expoſcit. Quod Sinceritates & Fidelitates Veſtras cùm ſuæ integritatis, atque prudentiæ, tum boni publici, internæq; Pacis & trãquillitatis cauſâ facturas confidimus. Quibus de cætero optimam valetudinem à Domino precamur, omnemq; felicitatem vouemus. Dat. Zembrouiæ die XVI. Menſis Septembr. Anno Domini M DC. XLV. Regnorum Noſtrorũ Poloniæ XIII. Sueciæ verò XIV. Anno.

VLADISLAVS REX.

TI.

Titulus Literarum.

Reuerendo, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Spectabilibus, & Eruditis, ad Colloquium Thorunienſe congregatis, Sincerè & Fideliter Nobis dilectis.

Deinde Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Gneſnen. Cauſam, inquit, morarum præteritarum nullam aliam agnoſco, quàm quod multùm receſſerimus ab Inſtructione S. R. M. Neceſſum igitur eſt, vt illa explicetur; ad hoc autem munus deputauimus R. P. Gregorium Schönhof Soc: Iesu. *Sic igitur R. P. Schönhof exorſus eſt.*

Clariſsimi DD. Collocutores vtriuſque Partis Auguſtanæ & Reformatæ.

POſt obortas iam ſæpiùs non exiguas inter nos, & vtramq; Partem difficultates, cum ſæpè deliberarent noſtri Catholicæ partis Theologi, & collatis grauiſsimis Conſilijs peruidere vellent, vnde malum ſcaturiat, & quænam ſit remorarum cauſa; intellexiſſe ſibi viſi ſunt, intentiones partium non in eundem collimare ſcopũ, atq; adeo in diuerſas, & interdum etiam oppoſitas abire vias, contrarijſq; medijs ſæpiùs confligere, & ad inuicem collidi. Inde tot interſtitia ceſſationis & quietis. Semel ergo mentem ſuam declarare palam, & apertè voluerunt, quid velint, quoué tendant, & quò per alienos impulſus ſe duci, aut rapi nequaquam paſſuri ſint: vt tempeſtiuè intelligant aliæ partes, quid à nobis ſperare, quid vltra nõ promittere ſibi debeãt. Hæc eſt intentio præſentis allocutionis.

Profitemur nos itaq; à ſcopo, quem S. R. Maieſtas D. Noſter Clementiſsimus, toti huic negotio clementiſsimè præfigere, & à medijs, quæ ſapientiſsimè præſcribere dignata eſt, nec ad latum vnguem diſcedere velle, nec poſſe. Scimus enim

1. Quantâ ſapientiâ S. R. Maieſtas D. Noſter Clementiſsimus, omnia maturè proſpexerit.

2. Quam

2. Quàm diuturno, quàmq; graui conſilio omnia ponderauerit.

3. Quanto pietatis affectu omnia excipi nobiſq; promi voluerit.

4. Quantâ curâ quamq; cordata paterni pectoris ſollicitudine omnia ad amuſsim obſeruari deſiderauerit.

5. Quantâ ſpe ex accurata omnium obſeruatione eximios huius magni negotij fructus ſibi promiſerit.

6. Quantâ prouidentiâ vel nullos vel infelices progreſſus, & exitus ex eorum neglectu formidauerit.

7. tandem, Quantâ Maieſtatis Authoritate, eadem nobis, id eſt Catholicæ noſtræ parti comendauerit, inculcaueritq;. Ex his verò cauſis legis inſtar nobis eſſe volumus, quidquid de toto negotio arbitratur S. R. Maieſtas D. Noſter Clementiſsimus; Qui quidem quamuis pro ſua Regia Clementia, & incomparabili benignitate leges dici noluerit: nobis tamen Religio fuerit manuducentem Sapientiſsimum, & Pientiſsimum Regem non ſequi; temeritas, noſtris inuentionibus, vel additamentis negotium aliorſum flectere; leuitas, vel alienis veſtigijs duci, vel impulſibus extra Regium tramitem abripi.

Scopum (de hoc enim iam ordior) S. R. Maieſtas totiùs negotij bipartitum eſſe voluit, vnum per ſe intentum, nempè pacem, & vnitatem perfectam eiuſdem Regni ſui Ciuium, qui iam Religione diſsident. Alterum per accidens, ſi prior deficeret, nempè pacem ſaltem imperfectã. Commendationem perfectæ Pacis, frontem eſſe voluit ſuæ Regiæ Inſtructionis. *In primis, inquit, ſcopum quem ſuſcepto negotio præfigimus, Concordiam & Vnitatem Religionis, ac Beatam Eccleſiæ Patriæq; Pacem, omnium votis tantoperè expetitam, Collocutores præ oculis habeant, & vt aſſequantur, totis animi viribus cõtendant, remotis omnibus alijs intentionibus, quæ animos aliò, ſtudiaq; diuertere poſſunt.*

Videbat enim mens illa perſpicaciſsima, quàm diſparia ſint hominum præſertim religionem tractantium vota & ſtudia; & dubitabat

tabat interdum, (conſcius loquor) num omnibus inſederit ſyncerum, & quale omnium pectoribus ineſſe vellet, deſiderium pacis; & iam tum non ſine aliqua formidine diuinabat, fore fortaſsis aliquos,qui non Concordiam iam notiſsimarum Confeſsionum tentare, ſed potiùs nouas Confeſsiones condere, atq; ita ex Actu reconciliationis Actum profeſsionis, ſeu Confeſsionis facere vellent; fore, qui ex hoc congreſſu occaſionem arriperent, non tam vt extrema hactenus pugnantia in vnum coaleſcant, quàm potiùs, vt ſuæ partis Diſsidia firment, & augeant; fore, qui oppoſitam partē non pacem lucrari, ſed de vetere pacis poſſeſsione deturbare, ſuoq; ſtatu, vel gradu deijcere vellēt: fore, deniq; qui molirentur etiā nouis ſi fieri poſſet, iuribus, prærogatiuis, immunitatibus partem ſuam exornare & ſtabilire. Qui quidem omnes quàm longè abeant à linea, & à ſcopo S. R. Maieſtatis D. Noſtri Clementiſsimi, imò quâm penitus ex aduerſo pugnent, nemo eſt qui non videat. Nos verò cùm hanc S. R. Maieſtatis mentem ab initio ſtatim præſentis tractationis haberemus perſpectiſsimam, magno ſemper ſtudio aduigilauimus, ne quidquam nobis dicto, ſcripto, facto, excideret, quod eò tenderet, vt neglectâ conciliatione animorum, & perfectâ pace, noſtra tantùm firmaremus. Nec opus habemus hac cura roborandi noſtra, cùm fides noſtra Catholica, vera in hoc Regno Materfamilias, Dña, & hæres, ſuismet præſidijs adeò firma ſit, vt noſtris adminiculis, quæ tenuiſsima forent, prorſus non egeat.

Hoc igitur vnum agebamus, & agimus, vt ijs quoq; qui à nobis diſſentire cœperunt, quantum ſaluâ veritate & conſcientia fas eſſet, reconciliemur; ſi aliò nos aliquando tendere aduertitis, aut etiam deinceps aduertetis, monete, illicò pedem retrahemus, & ad veſtigia S. R. M. nos reuocabimus. Idem à vobis, vt pari iure nobis in vos liceat, poſtulamus, cum hac diſerta & aperta denunciatione, non permiſſuros nos quidquam, ſiue maximum, ſiue minimum, quod ab eo fine videbitur alienum, nedum ſi è diametro vide-

videbitur, huic fini contrarium, id eſt, ſi nobis conſtiterit, ea vos meditari, vel agere, quæ ad roboranda diſsidia partium faciunt, ad extorquendas, neſcio quas, nouas prærogatiuas, ad impetrandas inauditas in hoc regno æqualitates, & ſtabilienda ſicubi ſunt vetera iura, ad impetrandos nouos titulos, ad introducendas nouas Cõfeſsiones, ad deturbandos Catholicos à poſſeſsione ſiue nominis Catholici, ſiue aliarum prærogatiuarum, & denique ad quæuis alia ſiue maiora ſiue minora.

Hæc enim omnia manifeſta ſunt argumenta, non quæri, vt partes hactenus diuulſæ, fiant vnum; ſed vt maior, & ſtabilior ſit diuulſio. Neq; nos eo fine, vel à S. R. M. huc euocati, vel à Principibus Prælatiſq; noſtris Eccleſiaſticis delegati ſumus, vt talia vel tractem⁹, vel concedamus, vel permittamus, ſed ab omnibus vnum illud magnâ Authoritate nobis inculcatũ eſt, nihil, nihil innouandum eſſe, præter ſolã Pacẽ. Vos ſi aliud habetis in mandatis audire volumus.

Ex hac verò denunciatione noſtra iudicabit deinceps Orbis terrarum, quænam pars cenſenda ſit moras nectere, & obices progreſsibus ponere: illiné, qui obſecundant intentioni S. R. Maieſtatis D. Noſtri Clementiſsimi, & eiuſdem tanquam primi in hoc negotio motoris ductum conſtantiſsimè ſequuntur? an alij qui eiuſdem intentioni, Ductui, Motui, contraniti volunt?

Altera pars intentionis Regiæ erat, Pax imperfecta, in caſu quo perfecta per noſtram infelicitatem non coaleſceret. Imperfectam Pacem dixit, quâ, ſi fortè Partes in totalem & perfectam vnius eiuſdemq; doctrinæ & ſenſus vnitatem non tranſirent, ſaltẽ ſopiantur, aut penitus extinguantur odia, & prorumpentes ex odijs mutuæ infeſtationes. Pientiſsimum Patris Patriæ deſideriũ! Semper autem perſuaſa fuit S. R. Maieſtas, vnicam ad excitandas has odiorum, irarum, bellorum, flammas, cauſam eſſe quoddam genus hominum, qui obſequium ſe DEO præſtare credant, cùm Doctrinam aduerſæ Partis, quantumuis optimam, ita populo propinant

pinant, vt nulla teterrima hæreſis comparere poſsit fœdiore formâ. Ex quo ſpectaculo impoſsibile eſt aliud quidpiam progigni quàm odia & execrationes. *Nobis, (inquit,) compertum eſt maximam iam malorum præſentium cauſam eſſe, ſiniſtras intelligentias Partium, & hoc vno fomite tam luctuoſum Diſsidium in hoc inprimis Regno foueri.* Ex qua mente S. R. Maieſtatis facilè intelligimus, quantopere S. R. Maieſtas ſi præſens eſſet, abhorreret ab omni præſentium Collocutorum ſcripto vel dicto, quo offendi partes, & veteribus, nouiſq́, cauillationibus, vel aculeis offuſcari & perſtringi cerneret alterutrius Partis Doctrinam, aut certè ijs coloribus infectam in publicum produci, quibus ipſa pingi, neque velit, neq; debeat. Diceret vtiq;, tales artes in propoſitum negotij ſcopum nequaquam tendere, ſed toto cœlo à meta aberrare. Quid in eo genere, & qualiter à nobis actum ſit hactenus, teſtabuntur noſtra ſcripta, quæ porreximus, atq; illud inprimis in quo noſtras de Catholica Doctrina propoſitiones nuperrimè obtulimus: quid autem à Partibus deſideremus, tum aliâs inſinuauimus, tum paulò poſt intimabimus.

Venio ad media pro conſecutione finis à S. R. Maieſtate præſcripta, vt de his quoq; Partes noſtrã mentem maturè intelligant.

Media S. R. Maieſtatis ſingularia ſunt, & toto hoc ſæculo, à quo diſsidium cœpit, vix vſitata. Pleraq; Colloquia ita hactenus habita ſunt, vt acerrimis diſputationibus, ſimiliora fuerint, quàm amicis & fraternis Colloquijs, noſtrum autem fraternum eſſe voluit, atq; adeò ab omni diſputationis ſpecie remotiſsimum. Audiamus loquentem. *Quoad alteram Actionem, quâ de veritate & falſitate alterutrius Doctrinæ diſſerendum duximus, intelligant omnes, non eſſe, nec vnquam fuiſſe mentis Noſtræ, permittere vt Partes infeſtis hinc inde Diſputationibus ſeſe impetant, à quibus tantopere abhorremus, vt nè quidem Diſputationis nomen, in toto hoc Negotio vſurpari vnquam voluerimus. Didicimus enim experimento*

vnius

Digitized by Google

vnius ſæculi, intermindtas illas Argumentorum conflictationes in maiores ferè rixas deſinere, & poſt longos conatus, vix fieri poſſe, vt Diuina veritas ſolidioribus & validioribus firmetur argumentis, quàm hactenùs firmata eſt,

Vnius ergò ſæculi memoria & experientia, quam recognoſcit Chriſtianus Orbis vniuerſus, ſapientiſsimum Regem à veteri receptoq; quorundam more meritò dimouit, perſuaſitq; vt nobis non relinqueret liberum, diſputando certare. Quo imperio fregit noſtram quoque Catholicorum animoſitatem, qui à primordijs huius expeditionis noſtræ, nihil aliud meditabamur, quàm argumentorum pugnas, & huc veluti in arenam nos accingere & deſcendere cogitabamus, ſed ex moderamine S. R. Maieſtatis ſpiritus iſtos bellicoſos depoſuimus, & in aliud tempus, ſi quando dabitur claſsicum, reſeruamus. Pacem iam quærimus per viam pacis, à qua dimoueri nos nullâ vi patimur: illius etiam grauiſsimæ admonitionis memores, quâ Paulus ab iſtiuſmodi conflictationibus, præclariſsimos Chriſtianæ militiæ Archiſtrategos Thimoteum & Titum dehortabatur. *2. Tim: 2. Noli contendere verbis. Ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Profana & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem. Sine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem. 1. ep c. 6. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri IESV CHRISTI, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt Doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominũ mente corruptorum. Contentiones & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles & vanæ. ad Tit: 3.*

Inutiles planè ad eum finem, quem iam cum S. R. Maieſtate

Dño noſtro Clementiſsimo, intendimus. Diſputationum finis eſt, vt Pars alterius Partis doctrinam impugnet, & eò vſq; deprælietur donec victoriam referat. Hoc nos non agimus, nec agemus, ſed aliã viam inibimus, non à nobis inuentã, ſed Regijs auſpicijs nobis iam præmonſtratam, & propè vnicam ad proſequendam, & obtinendam eam, quam quærimus, Pacem : ideoq; à nobis, quod iterum iterumq; profitemur, ſacroſanctè tenendam, ſiue ordinem rerum tractandarum ſpectetis, ſiue modum tractandi.

Et quidem quoad ordinem rerum, placet S. R. Maieſtati tribus diſtingui actionibus negotium. Quarum prima conciliare poterit, debebitq; illam pacem ſaltem imperfectam, ſi conſtanter & fideliter lineam ductumq; Regium ſequamur; ſecunda, & tertia Pacem, ſi DEVS volet, perfectam.

Primæ Actionis tres vel quatuor partes conſtituit. *Vnaquæq; Pars, (inquit) de omnibus, & ſingulis doctrinæ Controuerſæ capitibus ſuam Sententiam breuibus ſimplicibus, apertis verbis, & propoſitionibus conceptã in medium proferat.*

Expendo propè ſingula verba. Ac imprimis, *ſuam Sententiam.* Nec enim vellet explicari manu noſtra alienam. Hoſpes, & Paterfamilias domi ſuæ plura pernoſcit, quàm aduena; neq; fieri poſſe credimus, vt ita caſtigatè, mundè, correctè, alienus Author explicet, quàm ſuus : ſi præſertim fiat ante auditam pleneq; perceptã alterius partis ſententiam. *De omnibus & ſingulis Doctrinæ Controuerſæ Capitibus.* Capita, non verò minutiſsima ſegmenta enumerari S. R. M. voluit : illa cenſeantur, à quibus cætera pendent. *Breuibus, ſimplicibus, apertis, &c. Breuibus* vt non ſit tractatus, non volumen, non liber, ſed propoſitiones, vt edi ſolent, ab ijs, qui defendendam doctrinam in ſcholis proponunt; *Simplicibus*; non vtiq; compoſitis, vt de eodem obiecto, & affirmatiuè & negatiuè, diſſeratur. *Altera Pars (inquit) idem oppoſitæ Parti eandẽ recognoſcendã offerat, eiaẽ iam ſcripto, iam viuâ voce explicandæ, inſiſtat*

Diſtin-

Digitized by Google

Diſtinctam partem Actionis voco. Nam & ſcriptum, & viuam vocem concedit. Rurſus *eidem depurandæ, ab imputatis erroribus, vel opinionibus vindicandæ, tamdiu inſiſtat, donec cuiuis liquidò & veluti in meridiana luce conſtare poſsit, quid vnaquæq; Pars reuera docuerit, quid putetur, vel fingatur docuiſſe.* Hæc tertia eiuſdem Primæ Actionis Pars eſt, vt illæ imputationes, quæ initio ſimplicibus primo ſcriptis offeruntur remoueantur, & ex collatione eorũ. quæ in confeſſo ſunt, & quæ negantur, liquidum fiat, quid meritò quid immeritò imputatum ſit. Sequitur quarta Pars. *Quod vbi (inquit) præſtiterint, ſtatim magno ſtudio colligãt ex vnanimi cõfeſſione partium, ea quæ reppererint verè, & contradictoriè pugnantia.* Hic demum eſt apex primæ Actionis, & fructus. Ex quo Sapienter colligent DD. Collocutores noſtrum eſſe præcauere, ne actiones, & partes actionum confuſionem ſubeant, & pars præueniat partem, ſed ſuis motibus ſingula procedant manuducente S. R. Maieſtate.

Altera Actio quæ eſt de veritate & falſitate doctrinæ. Repeto, iterumq; cordatè inculco, acrimoniam Diſputationum, vſq; adeo intentioni Regis & noſtræ aduerſari, vt planè certi ſimus, nihil toti negotio mentiq; S. R. Maieſtatis magis aduerſari, quàm hoc, quòd vigeſies & vltra ex ore S. R. Maieſtatitis excepi, nolle ſe permittere, vt nouum Seminarium odiorum, & litium, hic naſcatur, & deinde in ampliſsimum Regnum diffundatur. Itaque hæc Sac. Reg. Maieſtatis mens eſt, vt ſæpè præſtitæ (vt loquitur) *veritatis oſtenſiones, eæq; ſimplices confirmationes ſemel, iterumq;, vel ad ſummum tertiò, à quauis Parte æqualiter in medium producantur.* Eoné fine vt ſine fine de iiſdem certetur? minimè. Sed *non tam ingenioſis argumentationibus concertare pergant, quàm potiùs prudentiâ, & conſilio diſpiciendum aſumant, quid ſaluâ veritate, atq; conſcientiâ præſtare poßint, ac debeant.* Neq; quidquam amplius extorqueri nobis patiemur.

Tertiam Partem exiſtimat S. R. M. totam pendere, à ſecunda,

Illud ſtudioſè præcauet, ne quidquã importune de praxi inſeratur.

Iam verò quod attinet ad rerum tractandarum modum, liquidum eſt, deteſtari S. R. Maieſtatem omne id, quod partem offendere poſsit. Ex his verò, quæ apertis & claris verbis denunciamus, facilè intelligere Clariſsimi DD. Collocutores poterunt, quid hactenus nobis in mentem venerit, vt ſcripta nobis porrecta, tam facilè non reciperemus. Nec velim hic morari, factâ ſemel denunciatione. Concludo, nos neq; pati, neq; paſſuros vnquam, vt vel ad latum vnguẽ dimoueamur à ſcopo & medijs, à S. R. Maieſtate conceptis. Et pariter à Clariſsimis DD. Collocutoribus percipere volumus quæ eorundem ſit mens, & voluntas.

Hanc Declarationem mentis S. R. Maieſtatis, à Rñdo P. Schönhof finitam. Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Chelmeñ. ex parte DD. Reformatorum, his verbis Excepit:

Si tam longis allocutionibus nos inuicem compellaremus, tempora agendi verbis tantùm occuparemus. Puto enim omnes, qui huc ex mandato S. R. M. & benigniſsima inuitatione Eccleſiæ totius Sarmaticæ Catholicæ venerunt, hunc ſcopũ intendere, vt hoc negotium benè & intra metas temporis præſcripti, imò citiùs peragatur. Scopus tamen omnium hac in parte vnus eſt, & eſſe debet, vt non ſolùm pacem, ſed etiã veritatem intendamus, ita vt indiſſolubilis nexus ſit inter hæc duo, & magis firmetur. Illa duo ſunt fons riuulorum iſtorum, qui ſunt in intentione S. R. Maieſtatis, hoc eſt reconciliationis & vnionis, Religionis & animorũ: media quæ ſcopum attingere, & feliciter ferire debent, puto illa eſſentialia eſſe, vt aliquid affirmetur vel negetur, & deinde rationibus illud aut probetur, aut refellatur. Baſis enim eſt iſtius negotij, vt primò propoſitiones formentur. 2. De probatione illarum ſit diſertatio. Ergò quando ſcribuntur propoſitiones, neceſſum eſt, vt lucidè, non obſcurè, clarè, & ſufficienter ſcribantur. Ad corpus humanum, & ad motum corporis, non ſolùm partes

maio-

maiores, ſed etiam filamenta venarum requiruntur. Hoc applicari poteſt præſenti Negotio: ſunt filamenta, ſine quibus corpus humanum conſiſtere non poteſt. Explicanda ſunt & enucleanda omnia, quæ differentiam pariunt, & animos diſtrahunt, ſi vel minimum in oculum incidat, & lædat, euellendum eſt, etiam illa minima ſi oculum lædant Charitatis, ſunt euellenda. Deinde Diſputatio illa quidem, quæ habet gradum ſibi adiunctum contentionis & rixæ, abeſſe debet, attamen inquiri debet de vero & falſo, per ratiocinationes, Idẽ videtur innuere S. Paulus. Non vt contendam' *Verbis*, proinde rationibus agendum. Non putandum S. R. Maieſtatem, cùm mentis ſuæ notas in Inſtructione exprimere voluit, excluſiſſe ab iſtis, etiam minimarum rerum diſquiſitiones, quæ poſsint cum bono publico tractari. Non opus erat nobis tam latè explicare Inſtructionem S. R. Maieſtatis, ſi memoriter dicta fuiſſet, ſemper de verbis interrogaremus, ſed cùm typis expreſſa ſit, quilibet affert oculos ad videndum & rationem, ad dijudicandum, quid velit Rex. Combinamus nos iſta duo, S. R. Maieſtatis reſponſum ad Orlenſem ſupplicem libellum, & modernam inſtructionem. Hæc duo proueniunt ex eodem pietatis fonte, ita tamen vt ſemper maneat præcipua in proponenda Religione libertas ita faciendi ne quid deſit ad explicandam veram Religionem. In reſponſo Orlenſi indigitauit cauſas diſceſſionis, proinde illa omnia ſunt explicanda, & puto non poſſe præiudicare Inſtructionem eidem reſponſo Orlenſi. Hærent mentibus verba Illuſtriſsimi Dñi Legàti, Inſtructionem eſſe manuductionem Paterni affectus, nõ legem. Natura negotij ſi aliud poſtulat, liberum erit Partibus ſtatuere, collimando ad eundem ſcopum, quem S. R. Maieſtas præfixit. Non hic quæritur, vt noua alicui accedat prærogatiua, vt æqualitas aliqua vni tribuatur, alteri detrahatur. Æqualitas eſt per DEI gratiam, ſecuritatis & libertatis in hoc Regno, proinde nulla hîc inæqualitas inducetur ſpero. Nos etiam cauebimus

ne no-

ne noua præiudicia patiamur, quæ præiudicent libertati. Putamus Patriam eſſe Matremfamilias, quæ primò DEI indignatione Pagana fuit, poſtea recepit Religionem Chriſtianam. Eadem cum videret ob Religionem concuti Orbem, ſecuritatem vt promiſit, ita præſtat religioni Reformatæ. Puto non propriè dici Religionem eſſe Matremfamilias, ſed Patriam, quæ ita diſponit in rebus, vt Pax & ſecuritas ſemper ſeruetur.

Vt autem ſatisfiat omnibus, quæ ita citò notari non potuerũt, exiſtimo non ægrè laturos, ſi modicum deliberandi ſpatium petierimus. Hoc pro comperto haberi volumus, ne alia opinio de nobis habeatur, quàm nos omni candore eò progreſſuros, quo Pax Chriſtiana coaleſcere, acerbitas animorum extingui poſsit, & totum modum & methodum Tractationis noſtræ id euictură.

His ſubiecit Dñs Húlſemannus Auguſtanæ Partis Moderator.

Perceperunt Auguſtanæ Confeſſ: Profeſſores, eam ſiue repetitionem, ſiue præſumptã explicationem Inſtructionis Regiæ, quæ cùm dilucida ſit, videtur, potuiſſe ſuperſederi ea declaratione. Ipſi autem cum huc acceſſerint, ad animorum concordiam promouendam, inter accepta cumprimis referunt, quod S. R. Maieſtas inſtructionem ſuam non legis loco, ſed deſideriorum eſſe voluerit; Collocutoribus autem leges ſibi figere plenam poteſtatem conceſſerit: petunt autem, vt quemadmodum DD. Catholici, ea quæ iam prolata ſunt conſultò, & meditatè dixerunt, ità etiam, ipſi reſponſum ſuum hoc ipſo in loco publicè reddant. Quod ad Proceſſum attinet, qui hactenùs obſeruatus eſt, ſperant, imò planè confidunt, nihil vel literis, vel voce ab ſe emiſſum eſſe, quod offenſionis ſpeciem præſetulerit; ſe deinceps quoq; idem facturos pollicentur, & cum ante quintiduũm poſitiones doctrinæ ſuæ fuerint exhibitæ, petunt eum ordinem ſeruari, qui hactenus obſeruatus fuit, in prælegendis partium Poſitionibus, præſertim cum Illuſtriſſ. D. Legatus ipſe iudicarit, nihil offenſiui ineſſe. Hoc ſi obtinuerint

rint

rint, non ſecundos, ſed primos ſe fore, qui maturationem huius Colloquij eiuſq; exoptatum, finẽ ſum mis viribus ſint promoturi.

Tandem Illuſtrißimus D. Caſtellanus Gneſneń. Seßionem publicam, vt primus Senator in horam Octauam Sequentis diei indixit.

SESSIO XIX. PVBLICA.
Vigeſimâſextâ Septembris.

Congregatis in Maiori Aula omnibus Partibus Illuſtriß. D. Caſtellanus Chelmenſis ſic præfatus eſt.

Heſterna die diſtulimus reſponſum ad Allocutionẽ à R. P. Schönhof factam ad hodiernam diem, proinde expediendo deliberationem hanc fiet Declaratio iſta nomine Partis Reformatæ, à Clarißimo Dńo Doctore Ioanne Bergio. Qui cùm iam incepißet interpoſuit ſe Magnificus D. Boianowski percon&tatus, quomodo intelligendæ ſint literæ Sereniſsimi Principis Electoris Brandeburgici, quæ aſſerunt Theologos *à ſe mißos eſſe Auguſt. Confeß. Cum tamen Dominus Bergius inter Reformatos conſederit. Tum D. Bergius legi nomina Theologorum mißorum ex literis Sereniſsimi Electoris voluit, quæ fuerant D. Ioannes Bergius Sac. Th. Doct. D. Georgius, Calixtus, D. Fridericus Richelius, ſimulq́; aſſeruit Sereniß. Electorem non paßurum ſe excludi à Soc. Auguſt. Confeßionis. Nec ego (ſubiunxit) vel latum vnguem ab illa diſcedo. Neq́; tamen idcirco membrum eſſe deſino Reformatæ Eccleſiæ, petijtq́; non interrumpi ſuum ſermonem. Interea cùm Illuſtriß. D. Caſtellanus Gneſnenſis aliò ſpectare dixißet hanc actionem ſubiecit D. Boianowski :* Proteſtamur, *cui reſponſum ab Illuſtriß.* Dńo *Caſtellano Chelmenſi, & nos reproteſtamur. Tú D. Bergius ſic orſus eſt.*

Reuerendiſsime Illuſtriſsime nec non Illuſtriſsimi DD. Præſides DD. gratioſiſsimi, voſq́, Reuerendi & Clariſsimi Dñi Collo-

Q cuto-

Digitized by Google

cutores. Et ſi heſternâ die ad eam orationem, quæ partim Illuſtr. DD. Caſtellani Gneſnenſis nomine, partim nomine totius Cleri Catholici habita eſt, ad pleraq; ſatis ſuperq; reſponſum arbitror ab Illuſtr. D. Caſtellano Chelmenſi Præſide noſtro, tamen cum partem oneris Illuſtriſſ. D. Caſtellanus, & Reuerendi Dñi Fratres in me deuoluerunt. *Verbis his auditis Illuſtriß. ac Reuerendiß. D. Epiſcopus Samogitiæ Præſidens Catholicorum, cum ſuis loco ſe proripuit, proteſtatus, titulum hunc à Catholicis, ſine præiudicio audiri non poße, iamq; de eo fuiße conuentum in Abſentia Excellentiß. D. Bergij, vt titulo Collocutorum ſint contenti.*

Subiunxit D. *Bergius ſine titulis igitur rem aggrediar.* Cùm, inquam, huius oneris partem in me deuoluere voluerint, cui humeros meos impares eſſe agnoſco, tamen in hac cauſa, ad quam agendam Sereniſſ. Elector D. meus Clementiſsimus me ablegauit, hoc onus defugiendum minimè cenſui, & ſine procemio iuxta Regium præſcriptum ad heſternam Orationem accedo: Cuius mihi ſumma hæc viſa eſt. Quod Clariſſ. D. Collocutor veras hactenus inutilis moræ in hoc Colloquio nobis cauſas indicarit, quas putat eſſe duplices. Alteram quòd à Scopo à S. R. Maieſtate propoſito, alteram quòd à medijs ad hunc ſcopum nobis prædefinitis hactenus p'us ſatis diſceſſum ſit. Ita tamen hæc omnia proponere voluiſſe viſus eſt, vt potiſsimam eius rei culpam & inuidiam in noſtras partes illum deuoluere voluiſſe non obſcurè patuerit: Et quidem oratione, ſingulari Artificio & facundia, quæ laus ei meritò debetur, præmeditata, verbiſq; ſatis libratis, & exaſciatis elaborata. Neceſsitas itaq; ipſa ad innocentiæ noſtræ defenſionem reſponſum à nobis requirit publicum, non quidem præmeditatum, cùm vix ante vnam, & alteram horam deſignatio illius orationis à DD. Fratribus mihi ſit tradita, ſed tamen ita ex animi mei ſententia inſtituendũ, vt ſine vlla vlli⁹ partis offenſione vel leuiſsima proponi id velim. DEVM Ter. Opt. Max. oro, vt verba mihi, & mentem

inſpi-

inſpiret, quæ veritatem, & charitatem vnicè ſpirent. Principio in optimam nos quidem partem interpretamur, quòd Illuſtriſſ. D. Præſes partes ſuas in virum illum diſertiſsimum quo ad hanc orationem transferri voluerit, vt eo liquidiùs omnibus Illuſtritatis ſuæ ſenſus, & optima intentio pateret. Cæterùm cum ipſo Clariſſimo D. Oratore non tam quidem expoſtulare, quam leniter queri, vel potiùs quærere liceat, an non ipſemet ſua illa oratione in ijs, quæ de ſuo addidit, eius culpæ reus, factus ſit, de quâ nos accuſat? Quid enim ſibi voluit oratio iſta monitoria, niſi, vt toti negotio moram inutilem inijceret. Quid voluerunt ſibi, &c.

Hic Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Gneſnenſis interfatus. Putabam ego DD. veſtras aliter mentem meam accepturas fuiſſe, quàm nunc inuenio. Ex mente mea locutus eſt, ſermonem meum, quem fuſiùs expoſuit R. P. non ſolùm ex mente mea ſuſcepit, ſed etiam ea quæ dicturus erat mihi, accuratè prælegit, explorata illi omnia mea erant, itaq; ſenſum ipſius totaliter probaui, ac proinde non poteſt refutari ſermo R. Patris ſine refutatione mea, quam rem ego non poſſum pati. Putabam ego DD. *veſtras potiùs declarationem ſuam dare voluiſſe, an S.R.M. intentioni ſatisfacere vellent, quàm refutationē ſermonis.*

Tum D. Bergius ad hanc Declarationem tribus (inquit) verbis opus eſt. Nos ne latum quidem Vnguem diſceſſiſſe nec diſceſſuros eſſe ab Intentione S. R. Maieſtatis. Ratio hic habenda veritatis non Dignitatis. Liceat mihi proponere quæ ad innocentiam noſtram declarandam faciunt. Hic Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Gneſnenſis ſubintulit licet dare Declarationem an recipiant Inſtructionem S. R. Maieſtatis, ſed non licet refutare ſermonem meo nomine propoſitum, non enim quidquam obiectum eſt DD. Veſtris quod receſſerint, à manuductione vel aliquid contrafecerint, ſed modus tantùm & melior explicatio proponebatur ſine læſione & iniuria, quam D. Veſtra interpretatur aliter, Rogo ſit modeſta declaratio. Ad hæc Illuſtriſsimus D. Caſtel-

 ſtel-

Digitized by Google

ſtellan. Chelmen. rogo vt finiat Declarationem ſuam. Reſpondit Illuſtriſs. D. Caſtell, Gneſnenſis, Finiat. Perrexit itaq; D. Bergius.

Queſtus vtiq; eſt vir Clariſsimus à ſcopo Regio, & medijs diſceſſum eſſe, non agnoſcit, id ex parte ſua, ergo ex noſtra. A ſcopo quòd nouas potiùs Confeſsiones videamur proponere voluiſſe, quòd diſsidia noſtræ partis firmare, neſcio quas nouas prærogatiuas extorquere, ſtabilire, ſicubi ſunt, vetera iura, impetrare nouos titulos, deturbare de poſſeſsione pacis alios &c. ſi hoc in nos dictum eſt, reſpondemus ex communi ſententia, hoc nobis non fuiſſe propoſitum, non nouas edere voluimus Confeſsiones, ſed ad veteres in conſenſu Sendomirienſi propoſitas prouocauimus, cumq; iuberemur Declarationem aliquam proponere in controuerſijs, moniti, & voluntati paruimus DD. Catholicorum, vt veteres repeteremus, & ad præſentes Controuerſias applicaremus. Multominùs id agere voluimus, vt diſsidia confirmaremus, ſed vt odijs ſepultis (quòd coram DEO, & Angelis teſtamur) vnicè pacem fouerem⁹, multominùs hoc nobis propoſitum fuit, vt de poſſeſsione pacis, aut nominis aliquem deturbaremus. Titulos nouos non moramur, Nobis honorificentiſsimus eſt titulus dici Seruos CHRISTI, pro quo vitã etiã ponere, parati ſumus. Neq; nouas æqualitates, aut alia iura quærimus, quæ iura Regni, quæ æqualitates ſint Politicis demandamus, nos hic alia iura non quærimus, quam quæ à Chriſto Redemptore habemus. Profeſſus eſt Catholicam fidem non egere aliqua roboratione. Fatemur nec noſtrã quidẽ fidẽ noua indigerè confirmatione, ſed tamen aduerſus contradicentes, vt eam tueamur hoc ſecundæ Actionis proprium eſt. Prædicauit ſuam Eccleſiam veram Matremfamilias, Dominam & Hæredem. Ad hæc ſatis ſuperq; ab Illuſtriſsimo Præſide noſtro reſponſum eſt. Et ſi Eccleſia Mater eſt, Domina tamen fidei eſſe non poteſt, ne videatur filios tanquam ſeruos, & ancillas habere velle. Nos proteſtamur nobis eundem ſcopum propoſitum eſſe, vt pacem ſi fieri poſsit perfectam

Digitized by Google

fectam in Regno hoc inclyto conſtitueremus. Si verò iniquitate temporum, & hominum iniuriâ primario hoc ſcopo excideremus, ſaltem ſecundarium obtineremus: Pacem imperfectam. Pacem perfectam eam eſſe arbitramur cum perfecta conſenſio eſt in Doctrina fidei, in puritate cultus, & in charitate fraterna Chriſtiana. Hæc nobis perfecta Charitas omnibus quidem votis expetenda, omnibus etiam ſtudijs quærenda eſt, ſed an in hac iniquitate temporum, & corruptiſsimi ſæculi ſperanda ſit, Clariſsimi DD. Collocutores, æquè ac nos, vt ex heſterna oratione apparuit, ipſi vehementer dubitant. Ergo cùm prima velificatione vti non liceat, ſecundarius ſaltem finis imperfectæ Pacis nobis, & optandus, & quærendus, & per DEI Gratiam ſperandus erit. Quam equidem eam demum eſſe puto, cùm in aliqua diſcrepantia opinionum, & rituũ, doctrina tamen fundamentalis, & ad ſalutem maximè neceſſaria, vt vtrinq; retineatur, operam omnes per Chriſti Spiritum damus: & ad hunc potiſsimum ſcopum omnia Conſilia, & conatus noſtros retuliſſe hactenus, & deinceps directuros ſanctè teſtamur, imò hac quoq; ratione aliquomodo perfectam pacem nos putamus adipiſci poſſe, & ſi non in conſenſu omnium opinionum, & rituũ, tamen in tanto ardentiori conſpiratione charitatis, & mutuæ fraternæq; tolerantiæ. Hæc ſunt quæ de ſcopo totius Actionis ex mente S. R. Maieſtatis, prout eam tum in Clementiſsimo ad Conuentus Orlenſis ſcriptum reſponſo, tum etiam in præſcripto ſeu inſtructione huic Conuentui exhibita, explicatam inuenimus. Ego quoq; nomine fratrum repetere volui, & nobis quoq; propoſitum eſſe teſtor. Non enim id agimus (abſit hoc à nobis nefas) vt maior fiat diuulſio; non hoc fine à Principibus noſtris, aut Eccleſijs miſsi ſumus, aliud planè teſtantur mandati literæ à Sereniſsimo Electore Brandenburgico mihi transmiſſæ, & de ſuis principibus, aut Eccleſijs idem teſtari DD. Fratres poterunt. Nec verò Doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum innouationem vllam quærimus, aut

 prom-

Digitized by Google

promittimus, ſed ijſdem hac quidem in parte verbis vti volumus, quibus heri Clariſsimus D. Collocutor vſus eſt, magna nobis Authoritate iniunctum eſſe, vt nihil, nihil, nihil in doctrina Eccleſiæ hactenus recepta, ea præſertim, quæ toti Eccleſiæ Reformatæ cõmunis, non verò particularibus quorundam Theologorum ſaltem ſententijs propoſita eſt, ſed vt ſola Pax innouetur, vel potiùs renouetur, & qua hactenus Eccleſiæ huius Regni inclyti, & Ducatus Boruſiæ gauiſæ ſunt: porrò ad poſteros conſeruetur ac propagetur. Agnoſcimus etiam rectiſsimè de toto hoc negotio iudicare S. R. Maieſtatem, cùm, vt heri ex ore Clariſsimi D. Collocutoris audiuimus, ad excitandas odiorum, irarum, bellorum flammas cauſam præcipuam eſſe iudicat, quoddã hominum genus, qui obſequium ſe DEO præſtare credunt, cùm doctrinam Aduerſæ Partis quantumuis optimam ex ſcriptis, vel malè intellectis, vel iniquè detortis, ita populo propinant, vt nulla teterrima hæreſis comparere poſsit fœdiori formâ. Quinam verò illi ſint, qui hoc nomen mereantur, nos iudicare nolumus, ſed iudicium ea de re tum toti Eccleſiæ hodiernæ, tum toti poſteritati, ſi quæ futura eſt, incorruptius iudicaturæ permittimus. Hæc de prima orationis parte adeoq́, de Scopo S. R. Maieſtatis proprio. Ad alteram paucis reſpondebo, qua agebatur de medijs, quæ planè à S. R. Maieſtate longè prudentiùs, & ſanctiùs, quàm antea toto hoc ſæculo ab vllo principe factum eſt, conſtituta & præſcripta agnoſcimus. Nimirum, vt abſtineatur animoſis diſputationibus, quæ maiori plerũq; animorum exacerbationi, & partium diſsidio occaſionem præbere ſolent. Merito etiam laudamus Cleri Catholici manſuetudinem animi, quod animoſitates ſuas, vt heri ferebat Regis perſuaſione frangi paſsi ſunt. Quod Spiritus illos bellicoſos ad tempus deponere parati ſunt, & ſeponere donec Claſsicum canatur. Nos ex noſtra parte non ſumus nobis conſcij animoſitatis tantæ, aut bellicoſitatis, vt ita quamuis barbarè loquar, eoq; eas abijcere aut ſeponere

opus

opus non habemus. Claſsicum à nobis deprecamur, DEVS illud ab hoc Regno, & ab his Eccleſijs in æternum abeſſe iubeat; Angeli Pacis eſſe volumus, tubam vocis noſtræ ex Iuſſu Regis Regum attollere potiùs ad arguenda, & reprehendenda peccata, & licentiam populi, quàm ad Bellicoſas aut animoſas Diſputationes: Cōſiderandum tamen DD. Catholicis permittimus, an non æquè periculoſæ ſint perorationes, & Rhetoricationes eiuſmodi theatricæ. facilè enim fieri poteſt, vt per has potiùs ex aliqua eloquentis, vel incogitantia, vel imprudentia acuantur diſsidia, ſin autem de re ipſa aliquando agendum, aut diſceptandum erit, cui rei ſecundam Actionem ex præſcripto S. R. Maieſtatis inſtituendam eſſe meminimus, tum certè non videmus, quomodo de veritate, aut falſitate ſententiarum ſine ratiocinio aliquo, atq; adeo ſine Diſputatione, modeſta tamen & pacifica, hoc eſt Logicâ, & Theologicâ non autem Sophiſticâ inſtitui poſsit, ſed de ea re viderint Illuſtriſsimi DD. Præſides.

Ordinem agendorum in quo medij potiſsima ratio vertitur, repetijt nobis & propoſuit Clariſsimus D. Collocutor, & primam Actionem à S. R. Maieſtate nobis demandatam, in quatuor partes diſtribuit, quarum prima eſt, vt vtraque Pars proponat ſuam ſententiam de ſingulis capitibus, verbis breuibus, & ſimplicibus, perſpicuis. Vbi nobis ſingula hæc verba, tanquam mirè Emphatica conſideranda rectè monuit, nempè officij noſtri eſſe, vt quiſq; ſuam ſententiam non alienam proponat. Deinde de ſingulis Capitibus, in quibus ſegmenta tamen minutiora ſeponi voluit. Demùm verbis breuibus, non voluminibus, non tractatibus, non libris, nec propoſitionibus compoſitis, idem de eodem affirmantibus & negantibus. Deinde in prima hac parte, ſententiam ita propoſitam ad recognitionem Partis alterius eſſe offerendam. 3. Imputationes à verè Controuerſis ſecernendas, denique hoc pacto verè contradictoria planè liquidanda. In 2. deinde, quid

verum

Digitized by Google

verum, quid falſum ſit, probationibus ſemel, bis, terué oſtendendum. Quæ verò ad ordinem, & praxim potiùs, quàm ad doctrinam pertinere videbantur, ad 3. Actionem eſſe reijcienda. Addidit Vir Clariſsimus, ſe, ſuoſq; non pati, nec paſſuros, vt latũ vnguẽ ab hoc ordine S.R. Maieſtatis Authoritate propoſito recedatur, quinetiam ſi quid fortè, vt fert humana infirmitas, ex ſua parte, vel ab ordine hoc, vel à ſcopo recedere nobis videatur, amicè à nobis ſe moneri velle, vt pedem retrahant, & idem iuris ſibi in nos, quod quidem æquiſsimum eſt, poſtulauit. His à Viro Clariſsimo dictis nos lubentiſsimè accedimus, imò arbitramur ſolâ narratione eorum, quæ ex noſtra Parte in hoc Colloquio hactenùs geſta, dicta, ſcripta, imò etiam quæ patienti ſilentio, prætерita ſunt, ſatis, ſuperq; de noſtra hac intentione teſtari? Nam vt paucis potiſsima repetam, in ipſis præliminaribus, nos ex noſtra parte adeò faciles fuimus, vt à nonnullis imprudentiæ, etiam alicuius, & nimiæ facilitatis, accuſati fuerimus. Erat ſanè apud nonnullos dubitatio haud leuis, de coniungendis Precibus, Nos ita ſenſimus, cum quibus, & quatenus fides, in DEVM nobis cõmunis eſt, ab illis, nec inuocationem noſtram, quando ea DEI verbo conformis eſt, quod de illis precibus præſcriptis confeſsi ſumus, eſſe ſeparandum. Cùm igitur cum DD. Catholicis in eundem DEVM Patrem, eundem Redemptorem IESVM CHRISTVM, eundem Sanctificatorem Spiritum Sanctum, credamus, cur nobis religio ſit, eundem etiam DEVM, Creatorem, Redemptorem, Sanctificatorem, coniunctis precibus inuocare? Quod tamen ſine iniuria, aut vllo præiudicio dictum velim, eorum, qui grauibus haud dubiè rationibus moti, diuerſum ſenſerunt, ſed eò tantum, mentionem faciendam putaui, vt ab accuſationibus quorundam imperitorũ, nos aliqua ex parte vindicaremus. Idem poſsit dici de alijs præliminaribus, ſed rem ipſam quod attinet & liquidationẽ Doctrinæ, qui ſcopus eſt, primæ Actionis agnoſcent,

vt ſpe-

vt ſpero, & teſtabuntur, ipſi DD. Catholici ad ipſorum propoſitiones, pro prima Actione, vel alterâ, vel tertiâ die, Declarationem à nobis fuiſſe oblatam, per quam ad maturandam & feliciùs expediendam primam Actionem, ſeu doctrinæ ipſius liquidationem viam aperire voluimus, dum generalem quandam ſententiæ de tota Religione declarationem propoſuimus, eaq; profeſsi ſumus, ſcripturam nobis vnicam fidei, & cultus Regulam eſſe. In Catechiſmi etiam capitibus, quoad credenda in ſymbolo, quo ad facienda in Decalogo, quoad petenda, & ſperanda in Oratione Dominica acquieſcere. Quæ ipſa Doctrinæ Chriſtianæ capitita, duobus Sacramentis, nempè altero Initiationis, altero nutritionis ſpiritualis, &c.

Hic interfatus eſt Illuſtriſsimus D. Caſtell: Gneſnen, dixitq; Iſta eſt Refutatio ſermonis non Charitatiua, non autem Declaratio. Perrexit nihilominus D. Bergius.

Id deniq; nouiſsimâ illâ Declaratione ſpeciali propoſitũ voluimus, non alienam nos ſententiam propoſituros, ſed noſtram: quia verò ea in pleriſq; inter nos controuerſis capitibus non eſt affirmatiua, ſed negatiua, ideoq; fieri non potuit, quin aliã affirmatiuè, alia negatiuè à nobis proponerentur, ſi verò in priori forma in modo proponendi, quid aberratum eſt, id in ſequentibus emendatum ſperamus, vt DD. Catholicis ſatis fiat. Et ſi offenſiuncula interceſsit, illam hærere nolim, ſi verò hîc quoq; aliquid obſcurius occurrat, iterum nos offerimus ad Declarationem. Deſino, Cætera malim ſcripto. Obteſtor partem DD. Catholicorum, imò omnes eos, qui hîc adſunt, vt ſepoſitis omnibus affectibus, odijs, partium ſtudijs, & ſuſpicionibus, illud vnicè agamus, quod ad DEI gloriam, quod ad pacem, ad veritatis illuſtrationem, Partium diſsidentium vnionem, ducit, id nos ſedulò, & ſincerè facturos; & ſi quid nobis exciderit, illud præter mentem & intentionem noſtram fieri, aut factum eſſe teſtamur.

R Conclu-

Digitized by Google

Concluſit voto pro incolumitate S. R. Maieſtatis, & felici huius Colloquij ſucceſſu.

Hac Oratione finita Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. Epiſcopus Samogitiæ intulit, ad tam longam Refutationem D. Bergij petimus, tempus directè reſpondendi nobis dari, ſiquidem erant multa ſuperflua, & quæ Charitatem offendunt, & quia putamus nos eſſe iniuriâ affectos, proteſtationem inferimus.

Cùm autem Magnif. D. Boianowski copiam dicendi D. Hülſemanno dari petijſſet Illuſtriſſ. D. Caſtellanus Gneſnenſis conceſſit, hoc addito, vt à talibus aculeis, & Refutationibus, abſtinerent, ſed claras Declarationes adferrent.

Dominus igitur Hülſemannus ſic cœpit. In nomine Sacroſanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Reuerendiſsime, Illuſtriſsime, Illuſtrm̃i Præſides, Dñi Clementiſsimi. S. R. Maieſtatis Dñi Noſtri longè Clementiſsimi piam paternamque ſolicitudinem, quam rariſsimo Chriſtiani Orbis exemplo, vniendis Diſsidentium in Religione animis impendit, quamq; & venerantur exteri, & adorant Indigenæ, & Orbis vniuerſus ſecundis votis proſequitur, ad eam interpretandi regulam, heſternâ die cœpiſſe reuocari, quæ partem vnam moræ & tarditatis ream peragere, de poſthabita Inſtructione Regia eam poſtulare, & quaſi ad ordines vocare, inconſultis DD. Deputatis, nullâq; prçuiâ intimatione, noua poſtulata in publico prælegere; ſibiq; ſoli licentiam & iudicium interpretandi in tantum præſumere viſa eſt id diſsimulare nequeunt Auguſtanæ Confeſsionis Profeſſores, videri ſibi ab indole Charitatiui Colloquij ac Fraternæ Collationis, non parùm abludere. Quemadmodum autem ipſi coram DEO Iudice viuorum & mortuorum, verendoq; conſcientiæ ſuæ tribunali, proteſtantur, nihil ſe hactenùs intendiſſe aliud, neq; intendere, quàm vt S. R. Maieſtatis inſtituto ſatisfiat

ex aſſe.

Digitized by Google

ex aſſe; ita non agnoſcunt quidquam tale à ſe, ſiue neglectum, ſiue inſuper habitum fuiſſe, vel etiam quidquam intentum, de quo conſtitiſſet S. R. Maieſtatem intendiſſe aliud. Nouas autem propoſitiones prolatas eſſe in publicum, noua poſtulata, nouaq; negotia, nouas interpretationes Manuductionis Regiæ, idque nec conſcijs, nec conſultis omnium partium Præſidibus, id abludere putant, à pactis & Conuentis, per integrum hunc Menſem magno labore, grauiq; conſilio, inter Partes deliberatis. Etenim vt paucis multa comprehendam, eaq; nunc ſolùm allegem, quæ ad innocentiam noſtram oſtendendam directè faciunt, confidunt Aug: Confeſſ: Profeſſores, adeò non eſſe abluſum à ſe, ſiue à ſcopo S. R. Maieſtatis, ſiue à medijs ab eadem definitis, vt nemini primas hac in parte concedant, liceat bona cum pace Illuſtritatũ Veſtrarum, & eorum qui Actis interfuerunt, ea repetere ex Actis, & Protocollis, quæ perſpicuè faciunt, ad illam cùm obedientiam, tum diligentiam noſtram demonſtrandam. Nec enim nobis propoſitum eſt ordine recenſere ſingula, aut reſecare ad viuum, aut pedem cum Clariſſ: D. Collocutore conferre; ſed ſolùm Partis noſtræ innocentiam, ex actis, & tranſactis, oſtendendã ſuſcepi. Nec aliunde meliùs conſtare poteſt, quid ex ijs concedamus, quid non concedamus, quæ heſternâ oratione allata ſunt, quàm ex illis ipſis pactis, & conuentis, quæ ipſi Dñi Catholici non neſciunt publicè acta & tranſacta eſſe. Equidem non inuidemus ſedulitatis atq; induſtriæ laudem, Clariſsimis DD. Collocutoribus, quòd verò nos à promptitudine obſequendi S. R. Maieſtatis deſiderijs, excludamur planè, id vero eſt quod ipſis nequaquam concedimus. Quod ad ſcopum pariter & media attinet, præter ea quæ S. R. Maieſtas ex ſingulari prudentiâ & Clementiſsimo affectu, clementiſſimè largita eſt Aug: Confeſsionis Profeſſoribus, tum in Inuitatorijs, & Reſponſo ad Conuentum Orlenſem dato, tum in præſcripto, qualia ſunt, vt totum hoc negotium ijs legibus & conditio-

Digitized by Google

nibus tractetur, quas partes ipſæ ex legitimo & vnanimi Præſidentium & Senatorum conſenſu, ſanxerint; cuiuſmodi & illud eſt, quod rerũ tractationẽ, formã, & ordinem Moderatorũ & Collocutorum arbitrio comiſit, vt ipſi cumuni Partium conſenſu, conſciis Illuſtriſſ: D. Legato, & partium Deputatis, de his ſtatuant ſibiq; leges dicant. Præter hæc omnia, inquam, non ignorant DD. Catholici, multo negotio tandem concluſum eſſe, & conueniſſe inter Partes die 2 Septemb: vt de medijs, quæ ſiue facere ad ſcopũ à S. R. Maieſtate propoſitum, ſiue officere illi ſcopo videbuntur, non cognoſcat Pars ſola, adeòq; nec interpretatur ea ſola, ſed iuxta Præſides etiam & Moderatores, quin etiam ipſi Collocutores, ſi velint, de mediorum iſtorum appropriatione cognoſcant. Hæc ſola niſi me omnia fallunt, ſufficere poterant, ad omnem ſiue ſuſpicionem, ſiue imputationem moræ, quaſi ab hac parte nexæ diſcutiendam. Quæ enim de cætero per appetitum nouarum prærogatiuarum, inauditæ hactenùs æqualitatis, aliorumq; beneficiorum moralium progreſſui, huius Colloquij iniecta feruntur ijs omnibus in pactis & conuentis, eo ipſo prouiſum eſt, quod die 2 Septẽb: comuni Partium conſenſu Collocutorum vtrinq; & Romano Catholicorũ, titulus adhibendus rati habitus eſt, quod eãdẽ die communi Partium cõſenſu excluſum ab hoc Colloquio quidquid inæqualitatis & iuriſdictionis, ſiue Ciuilis, ſiue Eccleſiaſticæ ſpeciem præſeferre videretur. Nec enim affectamus nouas prærogatiuas, ſed promiſſam æqualitatem ſeruari, humiliter petimus. Vno verbo, opponimus rem tranſactam. At verò vt ea quæ iam circa prelimінaria, omnium Partium conſenſu conſolidatæ ſunt, rurſus ab origine ſua retexantur, fixa, ſtatutaq; refigantur, Dubia & iam elucidata ex Inſtructione Regia, in priores tenebras denuo imergantur, indagandæ, atq; explanandæ menti Regiæ, noui indies ſcrupuli remoræq; inijciantur, nouiſq; concertationibus, quaſi nouæ inſtruantur acies, id verò nec ad ſcopum

pum S. R. Maieſtatis facere; nec inter media ſanandi vulneratos animos computari poſſe cenſemus.

Non perſtringam ſingillatim ea, quæ per adhibitam nouæ interpretationis Regulam, media à S. R. Maieſtate propoſita obſcuriora facere viſa ſunt. Cuius modi eſt illud, de quatuor gradibus primæ Actionis, non ſolùm ordine, ſed propoſitionum quoque affirmatiuarum, & negatiuarum intercapedine, dierumq́;; aut etiam hebdomadarum interuallo diſtinguendis, vt ſemel iſta omnia præciderentur non ſolùm proximâ die à facta propoſitione, præliminares noſtros articulos, & conditiones, tum generales, tum ſpeciales exhibuimus, de æquitate earum, præſentibus partibus deliberationem inſtituimus, quæ bono etiam ſuæ partis receptæ, & approbatæ ſunt, ſed & media liquidandi totam atq; integram Auguſt. Confeſſ. Inuariatæ Doctrinam, ea rotunditate numeri, circumſcripſimus, vt quòd S. R. Maieſtas deſiderat, docti pariter, & indocti velut ad ſolem meridianum perſpicere poſsint, ea omnia, quæ à libris ſymbolicis adæquatè à nobis deſcriptis diſcrepant, non eſſe noſtra. Itaq; cùm nihil ſuperſit, quàm vt DD. Collocutores partis Catholicæ eadem perfectione, atq; integritate definiant media liquidandi Doctrinam ſuam; vltra & præter, quæ nulla alia ſint admiſſuri, maiorem in modum rogamus, ne ea, quæ ex partium conſenſu iam ſtatuta firmataq́; ſint denuò ad calculos reuocent. Reliquam partem Actorum nondum reuiſam ante ſuſceptionem vlterioris Actionis nobiſcum recenſeant, & in forma receſſus, prout conuenit, inter partes redigant. Nullum præterea negotium aut poſtulatum, totam partem concernens, ſinè expreſſo, DD. Deputatorum & Partium conſenſu in publicum proferant. Poſitiones Doctrinæ noſtræ iam ante 6. dies oblatas æquè, vt ſuas, & partis Ræformatæ in publicò audiant. Deinceps ad liquidationem accedant poſtea ad probationem, quâ ſi euicerint, conſenſum Prophetarum atq; Apoſtolorum, ac omni-

um vbique fidelium pro ſe ſolis facere, tum demùm profiteantur, ſe nihil, nihil, omninò velle, aut poſſe, immutare. Meminimus enim, & conſtat vniuerſo Orbi Carolum V. Imperatorem Religioſiſſ. cùm partes Diſsidentes, ad Conciliationem doctrinæ fidei, vocaret, non erubuiſſe, quin confiteretur, eſſe etiam nonnulla à ſua parte in ſcripturis ſecus tractata, & intellecta, quibus ſepoſitis & correctis, res illæ ad vnam ſimplicem veritatem, & Chriſtianã concordiam componi, & reduci poſsint, ſic enim, & citatio ad Comitia Auguſtana iam ante Annos 115. coacta, ſic propoſitio Imperatoris, ſic decretum, ſiue concluſum, illorum Actorum docēt. Illæ autem quaſi decretoriæ voces, nihil omninò velle remittere, etiam Diſputationes Theologicas de vero & falſo, eo commate notare, quo Paulus Apoſtolus Kenophonias, & vaniloquia reprehendit, non videtur eſſe referendum inter pararias conditiones futuræ pacis, ſiue perfectæ, ſiue imperfectæ. Neq; verò meminimus, vllum interpretem S. literarum etiam partis Catholicæ Diſputationes Theologicas, de verò & falſo recenſuiſſe inter eas Kenophonias, quibus Timotheo & Tito Apoſtolis interdixit, nãq; & ipſe de religione diſputauit, diſſerebat, *dielegeto ſynezite*, ſiue ſuaſurus eam, ſiue confirmaturus, ſiue deniq; vindicaturus *Actor*. 9. 17. 18. 19. 20. 24. *Capit.* etiam ex vulgata veſtra verſione, atq; alijs idem docendi, atq; vindicandi officium iniunxit. Ipſa duodecennis Iesvli interrogatio, & redditio, quid obſecro alienum habet à Diſputatione Theologica?

Itaq; quàm aheneus, & obfirmatus DD. Catholicis eſt animus, ne latum vnguem diſcedendi ab Inſtructione S. R. Maieſtatis D. noſtri Clementiſsimi, tam impenſè fraternèq; petimus, & rogamus, velint DD. Collocutores Catholici renuntiare, iſti animi ſui obfirmationi, ex quâ pronunciarūt ſe nihil, nihil omninò eſſe remiſſuros. Quæcunq; enim de cætero, de doctrina ſua tanquã Matrefamilias, Domina, ac Hærede, & alijs huius notæ prætulerunt illa

quo-

quoniam ad Theologorum Cathedras non pertinent ea Patronorum noſtrorum diſcuſsioni relinquimus. Id verò non diſsimulamus, ſi mox in limine Colloquij DD. Collocutores Catholici, hoc edixiſſent, ſe nihil, nihil omnino eſſe remiſſuros bonam partem, & temporis, & operæ huic Colloquio impenſæ potuiſſe redimi. Quod ſupereſt DEVM Ter Opt. Max. flexis cordis, corporiſq; poplitibus inuocamus, vt ſecuritatem huic Regno, quaſi propriam eidem iubeat eſſe perpetuam, pretium noſtræ operæ hactenus impenſæ, ab obedientia noſtra expectabimus, quam S. R. Maieſtas pro innata orbiq; vniuerſo laudatiſsima prudentia & clementia ſua, ex cōparitione, actionibus, & ſcriptis noſtris agnoſcet, nec ea dedignabitur, vti confidimus; Solatium, & ſpem perennaturæ quietis, & ſecuritatis publicæ, poſt ſupremum animarum Cuſtodem, & Archiepiſcopum noſtrum, ponimus in paterno illo amore, atq; inexpugnabili Charitate Sac. R. Maieſtatis. Denique fiduciam nunquàm extinguendæ veritatis, in illo maiorum noſtrorum Symbolo, verbum Domini manet in æternum.

His dictis Illuſtriſsimus D. Epiſcopus, ſiquidem (inquiebat) quam plurima dicta ſunt ab Excellentiſs. D. Doctore, quæ minus intellexiſſe viſus eart, ex propoſitionibus D. Deputati noſtri, ideo ad reſpondendum illi tempus petimus etiam parati reſpondere ad ea quæ nobis importunè, & impertinenter imputauit.

Data dilatione ad reſpondendum Illuſtriſs. D. Caſtellanus Gneſuenſis Seſsionem ſoluit & ad diem Iouis pro hora ſolita indixit, promiſitq; futuram inter DD. Deputatos Conſultationem de prælectione Confeſſionis Auguſtanorum.

SESSIO XX.
Vigeſimâ octauâ Septembris.

Peten-

Digitized by Google

Petentibus DD. Auguſtanis, & Reformatis, vt ea quæ in publico dicturi eſſent DD. Catholici prius ſcripto DD. Deputatis exhiberent, Reſponderunt DD. Catholici, ſe id non facturos eo quod DD. Auguſtani, & Reformati ea quæ in publico 26. Septemb. dixiſſent DD. Deputatis non monſtraſſent, replicantibus DD. Auguſtanis, & Reformatis idē proximis diebus R.P. Schonhof feciſſe, & ſua nō mōſtraſſe. Cùm igitur id quod maximè cupiebant non impetrarent Seſſio dilata eſt in 30. Septembris propterea quod prædefinitum Seſſionibus, tempus iam eſſet elapſum. Rogarunt inſuper DD. Reformati & Auguſtani vt acta legerentur & conſignarentur, Annuerunt DD. Catholici dato iam prius reſponſo ad nuperrimas Orationes ab illis habitas.

Trigeſimâ Septembris.

Iterum Seſſio in qua DD. Catholici Reſponſum dare volebant certas ob cauſas in ſecundam Octobris dilata eſt.

SESSIO XXI. Die ſecundâ Octobris.

Horâ vndecimâ conuenerunt DD. Catholici ad Maiorem Aulam, cùmq; Illuſtriſſ: D. Caſtellanus Gneſnen: aliquandiu conſediſſet, miſit ad DD. Auguſtanos & Reformatos, Aulicum Illuſtriſſ: ac Reuerendiſſ: D. Epiſcopi Samogitiæ, Generoſum D. Matthiam Narewicz, illos ad publicām Seſſionem iterum iterumq; inuitans. Cùm autem illi non comparerent, ſed promitterent ſe reſponſum per aliquem ſuorum daturos, cenſuit Illuſtriſſ: D. Caſtellanus Gneſnen: horâ mediâ expectandos. Venerunt interim ex parte DD. Reformatorum, Magnif: D. Adamus Rey; Ex parte verò Auguſtanorum, Generoſ: D. Vladiſlaus Boianowski, quibus dicentibus ſe in publico non comparituros, propterea

propterea quod hæc Seſsio ſine partium conſenſu fuiſset inſtituta. Reſpondit Illuſtriſs. D. Caſtellanus Gneſnenſis, ex conſenſu omnium partium indictam fuiſse Seſsionem publicam pro 28. Septemb. quòd autem eo die celebrata non fuerit, non per DD. Catholicos ſtetiſse, qui quidem reſponſa parata habuerunt, & meritò de grauamine conqueri poſsunt, quòd ad præſentem Seſsionem, ad audiendū reſponſum non compareāt: Illis igitur certas ob cauſas nō venientibus, Illuſtriſ: D. Caſt: Gneſnenſis Seſsionem ſoluit, & iterum publicam pro hora 8. in craſtinū indixit.

SESSIO XXII. PVBLICA.
Die tertiâ Octobris.

Congregatis omnibus Partibus in Aula maiore, Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Gneſnenſis ſic incepit.

Optandum ſane foret vt ad nuperas reſponſiones Clariſsimarum DD. Veſtrar: eodem die reſpondiſsemus, e re tamen charitatis & fraterni huius Colloquij eſse duxi id differri: verebar enim ne ex contagione animorum veſtrorum etiam in animum meum affectus aliquis delaberetur. Vrgebat enim me cenſura de præſumpta inſtructionis Regiæ interpretatione, quam nemini permitto, præterquam S. R. Maieſtati: dignum tamen puto vt ea charitate, quá cæptum eſt negotium continuetur. Sed plenius reſponſum intelligent, vna pars ex ore R. P. Gregorij Schönhoff, altera autem ex ore R. P. Hieronymi à S. Hyacintho. Hic cæpit Illuſtriſs. D. Caſtell. Chelmenſis. Illuſtriſsime Domine (inquit) Paucula verba. Propter ſummum honorem quem Regi & Dño noſtro debemus, venimus in conſeſsum iſtum publicum, exiſtimo tamen non ægrè laturos ſi pauca præfabimur antequam audiamus allocutiones virorum Reuerēdorū. Graue illud nobis fuit, vt fateamur, quod die heſterna nobis non omnino conſentientibus huc in publicum ſit ventum. Putamus mentem S. R. Maieſtatis in Inſtructione eam eſse, vt tempora conſeſsuum non ex vnius, ſed ex omnium partium fiant conſenſu, dein-

Digitized by Google

de ex ea Ratione etiam putabamus aliquod nobis grauamen illatum; quod cùm aſſenſerimus ad publicam Seſsionem, nuperâ Seſsione illud cauerimus, vt in eſſentialibus negotij huius ſatisfactio nobis fieret. Attamen eo non attento heſterna Seſsio publica capta eſt. Nos ſemper innixi inſtructioni S. R. Maieſtatis, poſtulabamus, vt priùs protocolla (vt ita dicam) collationentur, ſubſcribantur, authorizentur. Illud idem præſente adhuc Illuſtriſs. D. Legato Regio & Cancellario Regni, intimauimus, & ego voce meâ expreſsi, nos non venturos in publicum, niſi protocolla ſubſcribantur. Tamen nihil actum hucuſq́, imò videmus coniecturas aliquas, ex quibus poſſumus opinari, partem Catholicam ſubſcriptionem iſtam Protocollorum negligere. deinde illud etiam neceſſarium & eſſentiale putabamus, vt poſitiones certæ ab omnibus partibus in ſcripto traderentur, quæ pro baſi & fundamento eſſent vlterioris tractationis. Propterea confeſsiones ſcriptæ ſunt ab omnibus partibus, non vt quid nouum ſtatueretur, ſed vt omnes in breuiorem formam per modum declarationis redigerentur, vt liquidari poſsint. Propoſuimus iſta omnia; nondum nobis ſatisfactum. Proinde etſi multas rationes habuiſſemus non veniendi ad publicum conſeſſum, tamen ne videamur contrariari voluntati S. R. Maieſtatis, & continuationem negotij ſubterfugere, iam præſentiam noſtram non ſubtrahimus. Attamen fraternè fratres rogamus, vt hac in parte priùs nobis ſatisfiat, aut de præſenti, aut per promiſſum certum & tempore definitū, in quibus iam præiudicia patimur & non ſatisfit S. R. M. Inſtructioni, tum & rebus compoſitis inter nos in præliminaribus. Rogamus ergo fraternè, vt priùs nobis ſatisfiat, & declaretur, quid ſperare vltra debeamus. Ad hoc Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Gneſnenſis. Nihil putamus nos peccaſſe contra charitatem, quam Illuſtriſsima Dominatio Veſtra proponit. Cum enim Seſsio illa non tantùm ex voluntate mea (quod tamen ex vi Legationis meæ licitum erat) ſed etiam ex Illuſtriſs. Dominationis Veſtræ conſenſu indicta ſit, & actis inſcripta, nibil de-

roga-

rogatum charitati & æqualitati cenſemus. Quoad alia puncta ſatisfactionem non denegamus. Erit ſatis temporis poſt reſponſum à noſtris datum, quod tantopere eſt neceſſarium. Tum Illuſtriſſimus D. Caſtellanus Chelmenſis petijt vt certum tempus definiatur. Idem rogauit Illuſtriſſ. D. Capitaneus Stumenſis. Illuſtriſſ & Reuerendiſſ. D. Epiſcopus reſpondit per Deputatos tractetur qui iam deſignati ſunt. Iterum Illuſtriſſ. D. Capitaneus Stumen: etiã in reliquis grauaminibus, potiſſimùm quo ad Protocola & confeſſiones eadem mens noſtra eſt. Repoſuit Illuſtriſſimus D. Epiſcopus. Quod non reuideantur Protocolla non culpa noſtra eſt; propoſitiones autem quia non ſunt correctæ debito modo & propter rationes quæ afferentur, recipere non poſſumus. Magn. D. Boianowski. Promiſſum eſt (inquit) nobis vt Confeſſio noſtra audiatur, audita eſt Dominorum Catholicorum & Reformatorum æquum eſt, vt & noſtra Auguſtana relegatur. Tempus publicè nominetur. Definiuit Illuſtriſſ. D. Caſtellanus Gneſnenſis, vt cras priuata Seſſione propoſitiones partium per Theologos Deputatos examinentur & deinde ſi conuentum fuerit feria quinta publicè prælegãtur. Subiecit D. Boianowski niſi Confeſſio noſtra prælegatur Die Iouis, ſe non vltra progreſſuros. Poſthæc Illuſtriſſimus D. Caſtellanus Gneſnenſis annuit, vt R. P. Schönhoff reſponſionem ſuam proſequeretur qui hunc in modum cœpit.

Clariſsimi DD. Collocutores partis Reformatæ.

Quæ fuerit nuper mens noſtra, & quis allocutionis noſtræ finis adeo diſertis, & apertis verbis explicuimus, vt nihil minùs nobis venire potuerit in mentem, quàm dubitari aliquando à DD. Collocutoribus poſſe, quid voluerimus. Noluimus agere Magiſtros, nec ideo S. R. Maieſtatis D. Noſtri Clementiſsimi Inſtructionem voluntate, & nomine Illuſtriſsimi D. Legati interpretati ſumus, vt vos doceremus (quamuis, & hoc Illuſtriſſ. D. Legatus omni iure præſtare potuit, & profanum eſt, vſum legitimæ poteſtatis ap-

pellare licentiam,ſed eo præcipuè fine vos affati ſumus,vt per mentem Regiam Inſtructione expreſſam, & à nobis palam agnitam, noſtraq; Confeſsione conteſtatam,mentem quoq; noſtram in ampliſsimo omnium veſtrum conſeſſu ſolenniter declararemus. Sciri à Vobis volebamus, quem ſcopum in præſenti negotio nobis fixerimus, ideo ſcopum à S. R. Maieſtate conſtitutum produximus,& hunc eſſe noſtrum conteſtati ſumus, neq; paſſuros, vt ab eo quacunq; ratione dimoueamur. Deinde quibus lineis in eundem collimemus, quibus medijs proſequamur,teſtatum eſſe voluimus. Ideo media à S. R. Maieſtate ſapientiſsimè præſcripta,ex ipſo ſcripto Regio recenſuimus. Et hæc eſſe noſtra, nec ab ijs latum vnguem abituros denunciauimus. Hoc nec quidquam aliud volebamus. Doceri vos à nobis nolle,certò ſciuimus; declarari tamen mentem noſtram nobis non loquentibus, non poſſe, & vos ſciebatis: mentem verò noſtram, quæ nihil aliud eſt, quàm imitatio mentis Regiæ,declarari plenè, & integrè non poſſe,nō producto in publicum Archetypo mentis Regiæ, certò perſuaſi eramus. Interim quid à Vobis reportauerimus meminiſtis. Noſtra quidem allocutio vim interpretationis habuit, & declarationis. Quâ interpretatio, ab Illuſtriſſ. D. Legato profecta eſt,& eo nomine merebatur maiorem, quàm deinceps retulit,reuerentiam. Quâ Declaratio noſtra fuit,id eſt, omniū à parte Catholica Theologorū. Quo nomine quidquid contra me Orator Reformatæ partis vehementiùs prolocutus eſt, non mea priuatim ſolius,ſed vniuerſæ partis fuit iniuria. Ego tamen libenter in me transfero accepta vulnera, vt vos incolumes ſitis Illuſtriſſ. & Rn̄diſſ. Dn̄e, Illuſtriſsimi, Illuſtres, & Admodum Rn̄di Dn̄i. Mihi parabilis, & in ipſo pectore nata eſt medicina. Ex perſona mea integerrimè, & in omni candore Dn̄o Oratori parco excluſa omni etiam tenuiſsimæ læſionis recordatione. Quòd vt opere præſtem, ita me geram, vt omnes intelligant me negotium agere,non homines laceſſere. Mittam quæ partim ad rem non ſpe-

ctant

Digitized by Google

ctant partim extra noſtrum Theologicum ſunt inſtitutum: quale fore reſtituere ſuo loco læſam Illuſtriſſ. D. Legati dignitatem, dicto & facto. Maior poteſtas cenſeat, & cenſuret, vtrum veritatis ſimulq́; dignitatis in tali negotio haberi poſsit, debeatq́; ratio. Ego ad rem meam, duo producam, ſine quibus nec innocentia noſtra poterat eſſe integra, nec negotium ſuis conſtare firmamentis. Itaq; primùm pauculas accuſationes breuiter, & modeſtè diluam non quod verear in hoc loco vindicem, ſed quòd reuerear Orbem Chriſtianum, quem habituri ſumus dictorum actorumq́; Iudicē. Deinde oſtēdā quædam, quibus ex opinione Partis Noſtræ vniuerſum negotium ſuis dimotum eſſe cardinibus, & iterum partis noſtræ ſententiam declarabo. Ex quo intelligetis, quàm vel præſens noſtra Reſponſio, vel nupera Interpretatio, & declaratio fuerit neceſſaria.

Primò igitur accuſamur, quòd eo noſtra ſpectauit oratio, vt culpam morarum in partes deuolueremus. Sed enim nec veſtram, nec vllam determinatè partem ream egimus; generatim, quænam eſſe poſsint morarum cauſæ, ex ſenſu S. R. Maieſtatis, nec non Illuſtriſſ. Dn̄i Legati interpretatione explicuimus, eaſdem à nobis remouimus; in alium vel alios nequaquam deuoluimus, niſi qui reuera forent rei, ſeq́; reos in conſcientia ſentirent, quales plerumq́; eſſe ſolent, qui ſe impatientiùs, & non ſine alterius iniuria defendunt, & excuſant. Licuerit ſanè vobis depellere ſuſpicionem cauſatarū remorarum (quis enim prohiberet?) licuerit declarare paratos in Regiam Methodum animos (id enim maximè volebamus) at nos inuadere, & exagitare, & velut in ius vocare, non licuit. An enim ſcelus fuit, ſcopum, quem Rex ipſe fixit, fixum ratumq; eſſe velle? Modos generatim recenſuimus, quibus arbitrati ſumus, à Scopo Regio recedi poſſe, & quos olim Rex ipſe diuinans formidauerat, particulatim induximus, addito, nequaquam nos permiſſuros, ſiue nobis, vt alia moliamur; ſiue alijs vt moliantur. Hoccinè erat

 parti

parti imponere? præcauere tempeſtiuè volebamus, ne quis crederet, aliò nos auocari poſſe: vt ita futuris progreſsibus viam pararemus; præterita decretoriè non damnauimus. Hæc enim noſtra iniuria eſt.

2. Accuſamur, quòd ipſi nos oratione noſtra Monitoria inutilem negotio moram iniecerimus. Si monere eſt moram inijcere, rei ſumus. Alioqui nullum omninò argumentum audiuimus, quo præcipuum hoc accuſationis caput, D. Orator Reformatus probaret. Noſtra allocutio Interpretationem Regiæ Inſtructionis, noſtræq; mentis Declarationem continebat, neq; quidquam amplius. Interpretatione, quaſi exerto digito, ſcopũ negotij monſtrauimus, mediaq; conſignauimus. Hoc ſi fuerit moram inijcere, ille quoq; dicendus erit nauigantium remora, qui inter medias tempeſtates noctiſq; caliginem, expoſitâ Pharo portum indicat, &, quo tramite inter ſcopulos meandum ſit, ſolicitè & amicè monet. Iam verò noſtra Declaratio, ſi à mente Regia deſciuit, accuſetur, vt remora: at hic Oratoris ſolertiam deſiderauimus, vt demonſtraret, vbi vel ad latũ pilum ab illa Præſcriptionis regula diſceſſum ſit.

3. Accuſamur, quòd inſinuare viſi ſimus, quoſdam inter nos non tam pacem communem quærere, quàm ſuæ partis noua ſtabilimenta, id eſt, imũnitates, titulos, æqualitates. Ita eſt, inſinuauimus, neminem notauimus. Vt autem inſinuaremus, manifeſta nos coëgit neceſsitas; oportebat enim ſemel denunciare, iſta ad pacem non facere, neq; nos ad tales de nouis immunitatibus tractatus huc ablegatos eſſe, multominùs, vt pateremur vetera nobis è manibus excuti. Qua in re diſsimulare non poſſumus commiſſum eſſe aliquid, quò non tam componi videretur animorum offenſio, quàm potiùs ſuſcitari. Vt cætera taceam, an ad conciliandos Catholicorum animos facere poterat, vetare, ne in noſtro quidem ſcripto, nos ipſos appellaremus Catholicos? nomine, mille ſexcentorum annorum præſcriptione, & pacificâ poſſeſsione nobis vſitatiſsmo? nomine

mine quòd partes reliquæ,non aliunde quàm à nobis didicerunt,&
aliter ſibi vſurpare non poſſunt, niſi à nobis nuper acceptum ſibi
violenter tranſcribant; adiecto etiam malæ vſurpationis auctario,
quòd ſe, ſimpliciter Catholicos, nos autem non niſi Romano-Sarmatico-Catholicos dicere dignati ſint? Iſta ſpoliatio non facit ad
Pacem,neq; nos procedere poſſumus,niſi intacta nobis relinquantur iura, poſſeſsio, vſus.

4. Accuſamur, de illata cæteris Eccleſijs iniuria, quod auſi ſimus Eccleſiam noſtram titulis efferre amplioribus, & dicere eam Matremfamilias, & Dominam, in hoc Regno eſſe. Magno iure id fecimus, & nihil præter Patriæ morem: In publicis etiam Regni Conuentibus, eoſdem honoris titulos deferre, nullum cenſetur crimen; imò laudatiſsima pietas inter optimos Patriæq; gnariſsimos Ciues, quorũ politiſsima ſapientia ſemper diſtinguit, inter familiam & Domum, familiæq; Patrem & Matrem. Et domum quidem Patriam intelligi vult: Familiam, ciues Patriæ; Patrem DEVM, Matrem Eccleſiam. Ita enim ſuaſit priſca Polonorum fides, ita obtinuit hæreditaria poſterorum pietas. Vtriq; enim pridem didicerant, non poſſe habere DEVM Patrem, qui non habuerit Eccleſiam Matrem. Iam verò Dominam honoris titulo appellamus, qualiter boni filij appellare ſolent matrem, neq; intelligi volunt vel in Matre tyrannicum Dominatum, vel in prole turpem ſeruitutem. Patriam poteſtatem colunt, & imperium obſeruant, ſine detrimento ingenuæ libertatis. Quod ſi quis in ea Eccleſia eſſe malit, quæ neq; velit, neq; poſsit eſſe Domina, nemini iſtud libertatis genus inuidemus, & facilè patimur vt hanc ſibi gloriam ſeruet, quòd habeat filios, ſe ipſâ liberiores.

5. Accuſamur, quòd ab his pacificis tractatibus, ad illud bellicoſius pugnæ claſsicum prouocare viſi ſumus, dixeramus enim Sereniſſ: REGEM nobis non reliquiſſe poteſtatem, vt diſputando certemus, & hoc imperio noſtram animoſitatem, quâ ſolennem

argu-

argumentorum pugnam meditabamur fregiſſe. Hâc autem loquendi formâ ſignificare volebamus (quod cuiq; verba noſtra intuenti liquidiſsimum erit) nos hactenus res noſtras ita præparaſſe, vt in hac veluti palæſtra, continuatis & in longum productis argumentis, & recepto in ſcholis diſputandi vſu, de vero, deq́; falſo decertaremus. Quâ declaratione vnum illud teſtatum eſſe voluimus, nos conſuetam vltrò citroq́, argumentandi formam, non tantùm non refugere ſed expetere, & in eum, ex more noſtro, magnis ferri animis, atq; etiã paratos eſſe, cum hoc armorũ genere comparere in quouis loco, ſi quando dabitur claſsicum, id eſt, ſi quando ad pugnacius Diſputationis certamen vocaremur. Hanc noſtrã animoſitatem, per ironiam laudans, carpſit, & amariſsimè ſugillauit D. Orator, & mox inuidioſè (non vtar acerbiore verbo, quò iure poſſem) alio tranſtulit: ita verba torquens, vt concipere Auditor & ſuſpicari poſſet, ſpiritus illos bellicoſos aliò ſpectare, id eſt, non bella ſcholaſtica, ſed atrocius aliquid, Arma, Bellonæ claſsica, cruenta Martis prælia. Obſtupuimus, & exhorruimus. Quis enim crederet, primũ quidem virum bonũ pulſari cogitationibus adeò non bonis, aut animum ſapientis concipere parereq́; potuiſſe, optimorum ſaniſsimorumq́; verborum, tam malam, tamq́; atrocem interpretationem? tum verò iſta nobis coram & in faciem obijci ex noſtris verbis, coram tot incorruptiſsimis tum verborum noſtrorum, tum ſenſuum interpretibus & teſtibus, quibus ipſo ſole clarius eſt, ne per vmbram quidem tale quid cogitatum vel prolatum eſſe. Quid miremur, eminus omnia peruerti? Tandem quis non erubeſceret iſta nobis impingi poſt ſolenniſsimã proteſtationem modeſtiæ, & vitandæ omnis in ſermone offenſionis? Sed mitto iſta, quæ per ironiam, id eſt, riſum Sardium dicta ſunt: nobis riſum mouit perquam ridicula armorum confuſio & Argumentorum. Illud non omiſerim, iniuſto ſarcaſmo exceptam eſſe noſtram animorum lenitudinem,

quâ

Digitized by Google

quâ admoniti à Pientiſſ: Rege, ſpiritus illos ad ſcholaſtica prælia paratos, illicò poſuimus. Debemus enim & debere volumus iſtã Regibus obſeruantiam, & in veſtris eandem exemplis expreſſam in hoc inprimis theatro ſpectare voluimus. Pacis enim & Charitatis Theatrum eſt, à quo exulare debet, omnis aſperitas, amaritudo, æſtus, imodeſtia. In quibus ſi vobis præimus, noſtra gloria eſt: ſi vos ſequimur, honor eſt veſter: ſi inuicem comitamur, negotij felicitas.

6. Accuſamur, quòd Diſputationem renuamus. Inde arrepta occaſio, vt gloriosè in vulgus ſpargeretur, Papiſtas timere. Egregium gloriæ decus alienâ coronatum infamiâ! Parcite neq; Regiam, neq; noſtram mentem aſſecuti eſtis, Diſputationem & ratiocinationem confunditis. Quaſi verò, quotieſcunq; in maximis mortalium negotijs ratione agitur, diſputare dicendi ſint homines. Ingratum iam eſſe cœpit Diſputationis nomen inter viros grauiſſimos, eius præſertim, quæ de rebus religionis inſtituitur, coram Auditore non eruditiſsimo, plerumq; ab iis hominibus, qui non ſemper ſibi imperare ſciunt, &, vel ingenio abripiũtur, vel calore quodã nimio turbantur & turbant. Tale Diſputationis nomen deteſtatur Sereniſſ. Rex, ſi præſertim interueniat, illa verſipellis, (vti vocat Tertullianus) artifex ſtruendi & deſtruendi, in argumentis operaria contentionum, moleſta etiã ſibi ipſi; illa, qualem olim iactabat Eunomius, referente Ruffino, qui cum tendiculas ſibi quaſdam è Logica, & tortuoſum diſputandi genus comparauiſſet, ferocire in Eccleſiam occœpit, adeoq; furere, vt ingenio atq; Doctrinâ ſe magno Baſilio anteferret; illa, quam afferre ſolent, qui, vt loquitur Auguſtinus, anſas atq; vncos, neſcio cuius perplexitatis inſerunt, ne ſimplicia pateant, & clara luceant; illam, deniq; qualem, niſi ego fallor. veſtri quoq; Maiores, & in his Philip: Melanchton, & pleriq; veſtrorũ dirè inſectati ſunt. Quamuis enim ſciam, Sophiſticã præcipuè reprehendi, adeò tamen dolus arti vicinus eſt, vt rari ſint, qui diſcernant, & cùm inter diſputantes alter verum tuea-

T

tur, alter propugnet falſum, ineuitabile eſt, quin vnus ille, qui pro falſitate decertat, argutiarum ſtrophis, & ſophiſticis offucijs, ac tendiculis, implectat, ac ludificetur animos audientium. Hoc ergo periculum auertere volens S.R. M. Dñs Noſter Clementiſsimus diſputationem vetuit: Ratiocinationē quiſquis vetuiſſe ſomniat, ſapientiſsimo Principi contumeliam infert; quiſquis eandem Catholicos defugiſſe credidit, brutis animãtibus exęquare nos voluit. Sed dicam poſtea pluribus de hac ipſa mente Regia, ac noſtra; nunc ſufficit iniuſtam accuſationem, nullâ fundatam ratione, ſolâ ad rationem prouocatione deterſiſſe.

Venio ad alteram partem, in qua oſtendendum ſumpſeram, negotium cardinibus ſuis motum eſſe, & maturè, vt ſibi conſtare poſsit, reponendum. Notiſsimum vobis eſt, vniuerſum hoc Conciliationis negotium conſtare fine & medijs: vtrobiq; ex nupera declaratione veſtra aliquid deſideramus. Neq; tamen ea quæ dicturi ſumus, ita volumus accipi, quaſi exprobrandi, vel improbandi gratiâ dicta ſint, ſed vt tandem in eundem ſenſum conſpiremus, & quaſi prehenſis vtrinque manibus, pariq; paſſu viam aliquando ingrediamur: alioquin fruſtra adnitimur, ſi in his cardinibus contranitimur. Malè nos inprimis habet, quòd pars Reformata de Pace perfecta deſperet; quaſi impoſsibilem eſſe ex ſua Parte exiſtiment conſenſionem in eandem Doctrinam DEIq; cultum. Nos verò certum exploratumq; habemus, S. R. Maieſtatem D. N. Clementiſſ: ſi perfectam pacem penitùs deſperaſſet, intuitu illius imperfectæ labiliſq; Pacis, tam difficile, tantæq; molitionis negotium nequaquam tentaturum fuiſſe. Quamuis enim & hoc magnum ſit, dignumq; Regijs votis, Ciues iniquis odijs non diſtrahi, & inuicem ſibi parcere, vix tamen promitti poſſunt conſtantes amicitiæ inter vera Religionum diſsidia: quarum quia altera ab eo neceſſariò manat, qui eſt veritas, altera verò à patre mendacij, intelligebat Princeps Sapientiſſ: fieri nō poſſe, quin confligant

fligant; & illa quidem inermis, ſuo tantùm candore conſpicua, iſta ſemper horrendum ſpirans, à malis artibus inſtructior, vbique circumferens tormenta (vt loquitur Tertullianus) cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis. Suffocari quidem ad horã poſſunt immitiores odiorum flammæ, neceſſe tamen eſt, vt ſemper trepident, qui ſe ſciunt incedere *per ignes ſuppoſitos cineri doloſo*, quod in re alia aiebat Poëta. Hac igitur de cauſa exiſtimat Sereniſſ: REX Dñs Noſter Clementiſſ: parùm ſe effeciſſe, ſi tantùm ſopirentur odia, ex partium iniurijs nata, relicto in pectoribus iniuriarum odiorumq; ineuitabili fomite: atq; adeò longiùs ſua vota protendit, & ad perfectam omninò Pacem nos prouocat, atq; in hac ſola veluti deſideratiſsimo centro toto pectore conquieſcit.
Nam & illam imperfectam Pacem, id eſt, ceſſationem ab iniurijs, eo dirigi voluit, vt longè pulſis ludibrijs mentium animorumq; irritamentis, affines populi, puris & ſerenis oculis, contemplentur adamentq; verum: & ex amore veritatis, quæ dubio procul vna eſt, tranſeant in optatiſsimam conſenſus vnitatem. Et verò mihi credite, ſi ſincerè ſerioq; rem agimus, etiam perficimus. Magna profectò vis eſt conſpicuæ veritatis, nec opus eſt multa perſuaſione, vt fidem inueniat; ſolo aſpectu rapit, & occupat hominis animum. Quæ cauſa fuit, vt S. R. Maieſtas tanto verborum apparatu, & pondere, exactam à nobis depoſceret diligentiam, in liquidatione doctrinarum: perſuaſus, ſi ſemel in lucem prodiret ſincera veritas, reperturam ſequaces. Eadem ex noſtra parte cauſa fuit noſtræ vigilantiæ, quâ adnitebamur, doctrinam ſinceriſsimè liquidari, ijs gradibus quos diſtinxit S. R. Maieſtas. Vtinam verò velitis credere, quantâ hîc fiduciâ progrediamur: Confidimus enim Catholicæ veritati, placituræ etiam vobis ſi natiuo compareat vultu, ſine ſtibio, ſine peregrinis coloribus. Prodeat illa qualis ipſa eſt, & ſuo ornatu: veſtris obſequijs ornari refugit; nos ſibi in iſtum famulatum adſciuit, non vt ornemus, ſed vt ex ſe ornatiſsimã in pu-

Digitized by Google

blicum educamus. Nolite igitur mirari, ſi nihil admittimus ab aliena manu; experti ſumus nullam eius imaginem, ab extraneo factam, reſpondere prototypo. Dabitis veniam ſi idẽ dixero apertiùs. Experti ſumus, vix extare inter vos librum, qui ſi id agat, vt doctrinam noſtram pingere, deſcribere, vel explicare velit, non aberrauerit. Principes, qui inter vos ſunt, hîc maximè peccant. Ipſi ſymbolici, quos amplexi eſtis, libri, hîs noſtris iniurijs ſcatent. Res profectò omni admiratione dignißima, quæ fuerit iſta vel doctrinæ noſtræ, vel populorum veſtrorum infelicitas! niſi quòd tam ſtudioſa natiuæ pulchritudinis occultatio, argumento ſit, multùm timeri, ne viſa adametur. Patimini ſemel, vt in apertum prodeat, & experimini, an digna ſit cuius amore ponamus odia, perfectamq; pacem colamus. Hæc de ſpe, à quâ profectò nos Catholici nunquam excidimus, neq; excidiſſe nuper innuimus.

Sed eſt aliud, vnde ſcopum negotij è proprio loco maximè longè deturbatum credimus; Conſilium pacis à noſtro diuerſiſsimum. Dicam breuibus & apertis verbis: Nos pacem & concordiam volumus, per conſenſum in vnam eandemq; doctrinam, Deiq; cultum. Vos pacem quæritis mutuæ tolerantiæ.

Si primò, nomine tolerantiæ, publicam & ciuilem ſecuritatem in veſtræ Religionis exercitio, per Regnum, perq; Prouincias annexas, intelligitis; eam poſsidetis, nec opus erat, vt ea de cauſa Thorunium confluxeremus. Vtinam verò parem vobiſcum vſum prioris noſtri, potioriſq; iuris, vbiq; pacificè teneremus. Quòd ſi ſecundò, nomine tolerantiæ nouam ciuilium libertatum & prærogatiuarum in nonnullis Prouincijs, vel Ciuitatibus vſurpationem, ſignificare vultis, hoc demùm eſt, quod nuper maximè execrabamur, cùm exclamaremus, nihil hîc, nihil innouandum, præter pacem. Tum & vos, non pacem populorum, ſed veſtra cõmoda quæritis, quæ vt reperiretis non in hoc loco collocanda fuit induſtria, ſed in Comitijs Regni & Prouinciarum. Si tertio nomi-

Digitized by Google

nomine tolerantiæ libertatem petitis, quâ ſentire & agere circa res Fidei & Religionis vobis liceat, id tantùm quod ex veſtro ſenſu arbitramini neceſſariū, & abijcere aut etiam improbare quod vobis viſum fuerit, non neceſſarium, non eſt hæc via, vt tollatur diſſidium, ſed vt augeatur & propagetur, longè maximo Eccleſiæ Patriæq; detrimento. Quouſq; enim tandem procedet illa neceſsitatis opinio. Bone DEVS, quantæ pugnæ! nobis doctrinā, legem, ritum, diſciplinam, ſtatum, ordinem, totum exercitium Religionis, tanquam neceſſarium vrgentibus, vobis vetantibus, & contra. An verò etiam eo pacto à nobis tolerari vultis, vt nihil, quod in nobis diſplicet, toleretis? hoc eſt, vt vobis etiam deinceps liberum ſit accuſare, carpere, damnare pleraque, tanquam errores, hæreſes, ſuperſtitiones, abominabiles idolomanias; nobis, & hæc & pleraq; alia tolerantibus? Deniq; ſi nomine tolerantiæ intelligi vultis, immunitatem & exemptionem ab omni iudicio Eccleſiaſtico probante vel improbante doctrinam, vel ritū, non profectò pacem ſtatuitis, non diſsidia extinguitis, ſed id deſtruitis, quod ſemper in Eccleſia habitum eſt pro ſupremo diſsidiorum remedio, pro vnico pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ ſtabilimento. Rex Sereniſſ: dum expetit publicam fundare pacē, tale conſilium non probat, neque nos probare poſſumus. Ex quo fit, vt eſſentiali ſcopo diſcrepemus: Quid igitur mirum ſi hactenus in diuerſa agimur? Inde verò intelligitis, quàm vtilis, quàmq; neceſſaria fuerit, nupera tum Regiæ mentis Interpretatio, tum noſtræ intentionis declaratio. Intellexiſtis palam quo collimemus, intelleximus, quàm prorſus aliò collimatis. Videte iam quid ad vlteriores negotij progreſſus opus ſit.

Alter negotij cardo medijs à S. R. M. præſcriptis, circumducitur. Ex ijs verò, quæ nuper allata ſunt, timere cœpimus, ne in his quoq; contrarijs motibus feramur. Liquidatione doctrinæ, & diſcuſsione veritatis, conſtare præcipuè S. R. M. vniuerſum negoti voluit

Omnes equidẽ verbis profitemur, obſecundare nos velle S. R. M. eiuſq́; ductũ in vtroq; ſequi interim re ipſa nos pugnare, hæc totius operis tardatio manifeſtè docet. In ipſo enim limine iam cõfligimus. Nos enim vt & Inſtructioni Regiæ ſtemus, & compendio rem agamus, vellemus doctrinæ capita, paucis, breuibus, ſimplicibus propoſitionibus, ex cuiuſq; Partis ſententia in mediũ proferri, excluſis omnibus, quæ vel apertè, vel tacitè Doctrinam Partis oppoſitæ ſugillant, vel eandem imputatis dogmatibus onerant, vel ſuperfluis additamentis, explicationibus, ſequelis obſcurant, ſuffocant, opprimũt, vel deniq; infinitis doctrinarũ minutijs, veluti ſparſo per aërẽ puluere, nebulã faciunt, vt caput ipſum controuerſiæ (à cuius ſolius diſcuſsione cætera omnia pendent) ab acutiſsimis etiam oculis vix videri & diſcerni poſsit. Vos aliter & ſentitis & agitis, ſolliciti, ne quid indiſcuſſum prætereatur: ſed neq; nos quidquam præterire volumus; tractentur etiam iſta, ſed in ſuis capitibus. Imitemur peritiſsimos Medicos. Illi enim in morbis Epilepticis, alijſq; qui à càpite manant, & vſque ad extremos pedum manuumq; articulos malum diffundunt, non vtique extremo digito emplaſtrum applicant, quamuis digitos intortos videant, ſed caput aggrediuntur, capiti medentur, caput corroborant. Ita nos capita controuerſiarum aggrediamur, illa cõpendio proponamus, illa mox liquidemus; vbi dabitur copia, etiã minutiſsimos diſcutiendi puluiſculos, anatomizandi articulos, ſecandi tenuiſsima filamenta. Tandem fallò imputata ſeparemus. Denique anthiteſes ex conceſsis formemus. Ita præcipit Sereniſſ: Rex. Et poterat ad rem noſtram quidquam cogitari concinnius? vt planè mirari ſatis non poſsimus, cur improbentur & reprobentur.

Circa diſcuſsionem veritatis meminiſtis abhorrere S. R. Maieſtatẽ, etiam à nomine diſputationis. Hinc arrepta occaſio, quod iam querebamur, vt diceretur atq́; etiam in vulgus ſpargeretur,

Papi-

Papiſtas nolle argumentari, timere, quærere effugia. Diſputationem ſanè non admittimus, quam Rex prohibet; argumentationem ambabus manibus amplectimur, quam & Res & Rex expetit præcipitq;. Expendite quid Rex ſub nomine diſputationis velit vetetq;. *Ab infeſtis, inquit diſputationibus, quæ partes hinc inde ſe ſe petunt tantopere abhorremus, vt ne quidem diſputationis nomen in toto hoc negotio vſurpari vnquam voluerimus.* Et iterum, *didicimus interminatas argumentorum conflictationes in maiores fere rixas deſinere.*

Duo igitur vitia notat, & deteſtatur, quæ fere diſputationibus iam velut inſita & naturalia ſunt, *mutuam perſonarum infeſtationem*, & *interminatam argumentorum conflictationem*, & breuiùs *infeſtas*, & *interminatas diſputationes*. *Infeſtas* quidem in quibus ita agitur vt homines expugnari videantur, non autem verum falſumque diſquiri, tanto calore, inſultu, furore, vt plus Martis habeant, quam artis, tam iniquo plerumque exitu, vt non argumentorum vis, ſed vocis violentia plauſum referat, & ille plerumque dicatur minor, qui modeſtior, cum tamen fere, qui ſapientiâ minor eſt, voce, verborum vi, quæſito plauſu rem ſuam ſarciat. Hoc enim agit, non vt victrix caput erigat veritas, ſed vt homo homini videatur nequaquam ſuccubuiſſe. *Interminatas* verò in quibus poſt longos argumentorum iactus, & mutuas reuerberationes, tantum abeſt, vt Pars Parti acquieſcat, vt ſemper magis magiſq; exaſperetur pugna, nec vnquam reperiat exitum. intendunt enim ingenia vires, & ſemper inueniunt, quo vel ictum declinent, vel perſequantur hoſtem, iterumq; feriant. In quo diſputandi genere (quod dolendum maximè) longiſsimo argumentorum tractu non illuſtratur, non ſolidatur veritas, ſed obſcuratur, & extenuatur ſubtiliſsimis diſtinctiunculis, obſcuriſsimis argutijs, importunis ludificationibus, impertinentiſsimis principijs, miro artificio, neque ampliùs obtinetur, quàm vt perfoſſo

ſemel

Digitized by Google

ſemel ſolido veritatis fundamento,eatur in infinitum. Tales diſputationes deteſtatur Sereniſſ: Rex, & quia diſputationis nomen in iſtiuſmodi altercationes, iam ferè tranſijt, ne nomen quidem diſputationis vſurpari voluit. Ab his ſine dubio abhorruit Paulus, & ſuis,vt euitarent, præcepit. Enimuerò vitandæ quàm maximè; ſi euitare volumus ſubuerſionem audientium .Sed de Pauli mente alij.

Pergamus iam expendere, quid S. R. M, quid nos ex hac mente S. R. Maieſtatis, voluerimus pro diſcuſsione Veri. Primo. *Ea* inquit *producantur in medium, quæ ad candidam ſimplicemq; veritatis oſtenſionem ſpectant.* Quâ quidem candoris ſimplicitate, qui naturalem vel artificioſam argumentandi formam, excluſam exiſtimat, næ ille procul ab omni iudicij rectiq; ſenſus regula aberrat. Ille talia ſomniet, qui artem ratiocinandi, vallum, murumq; veritatis eſſe ignorat, quo nomine illam inſigniuit Clemens Alexandrinus Platonem imitatus. Illa, quemadmodum loquitur Auguſtinus,docet docere, illa docet diſcere, in hac ſeipſa ratio demonſtrat, atq; aperit, quæ ſit, quid velit, quid valeat; ſcit ſcire, ſolá ſcientes facere, non ſolùm vult, ſed etiam poteſt. Secundò. *Ea producantur* inquit *in medium quæ ad candidam, & ſæpè ſæpius præſtitam oſtenſionem veritatis ſpectant.* Nec enim opus eſſe credidit, vt noua conquireremus. Ex ſolis vtiq; Scripturis Sacris initium diſſertationis huius ſumendum eſſe optimè nouerat. Quis verò noſtrum credat, nouos ſcripturæ textus,ijs præſertim excluſis, qui toto iam ſæculo vltro citroq; tanto ingeniorum conatu diſcuſsi,à nobis allegari poſſe? Illæ igitur iam toties præſtitæ veritatis oſtenſiones, candidè & ſimpliciter producantur. Tertiò. *Ea* inquit *producantur, quæ ad oſtenſionem, & confirmationem veritatis ſpectant.* Quo ſignificare voluit illud præcipuè quærendum eſſe,vt quiſque ſuæ partis doctrinam veram eſſe perſuadeat, non vt æmulum diſputando vincat, per quod arcetur colloquentium infeſta inuaſio,

ſi præ

Digitized by Google

ſi præſertim argumenti medulla ſcripto concipiatur. Et iterum quæ ad rei ſubſtantiam ſpectant, ſcripto reponantur, non permiſsis liberis, extra poſitos ſemel medij cancellos, excurſionibus. 4. *Ea inquit producantur ſemel, iterumq́ & tertiò.* Trinam nimirum eiuſdem argumenti confirmationẽ ſufficere credidit S. R. M. ad oſtenſionem ſæpè iam diſcuſſæ præſtitæq; veritatis. *Nam poſt longos conatus vix (inquit) fieri poteſt, vt Diuina veritas ſolidioribus, & validioribus firmetur, argumentis quàm hactenus firmata eſt.* Quod quidem veriſsimum eſt, de ijs præſertim argumentis, quæ eruuntur ex ſcripturarum textu: Quis enim dubitet, vnum quempiam ſcripturæ locum, accuratâ & exactâ verborum ponderatione ſemel factâ, ita éxcuti penetrariq; poſſe, vt vix quidquã ſuperſit? Quod ſi idem iterum, tertioq; maiori curâ & conatu fiat, neſcio an aliquid ampliùs deſiderari poſsit, præter verba, quæ Paulus vetuit, cum diceret: *Noli contendere verbis.* 5. *Ijs in medium productis, nequaquam ingenioſis argumentationibus*, id eſt argutationibus, *concertare pergant.* Ita metam ponit interminatis, quas vocarat, diſputationibus. Sapienter ſanè, vt ibi argumentum ſuo tempore ſiſtat, id eſt, in ipſo veritatis fundo, vltra quem nõ proceditur ad verum, ſed ad profundiorem veri caliginẽ. 6. Tandem, *Nequaquam concertare pergant, ſed potiùs prudentiâ & conſilio diſpiciendum aſsumant, quid ſaluâ veritate & conſcientiâ, præſtare poſsint ac debeant, vt tantum Eccleſiæ Patriæq́ reſtituant bonum, pacem Diuinam & Humanam,* (id eſt) videant, an ipſi ceſsione diſsidium componere valeant? an iudice opus ſit, & quis ille ſit? ſi vetus Eccleſia; conſulatur, audiatur.'

Neq; plura. Produximus argumenta innocentiæ noſtræ contra iniuſtas accuſationes; oſtendimus negotium luxatum eſſe, 1. ac præcipuè declaratione illâ, quâ ſiſtere vultis in ſola tolerantia, illis quatuor modis explicata, nobis, vel inutili, vel noxia; vobis ſolis proficua: quam proinde non tanti facimus, vt tanta vel noſtra,

vel

Digitized by Google

vel veſtrâ negotiatione hic opus ſit. 2. Mediorum vſu, diſcrepante ab ea methodo, quam S. R. M. præſcripſit, & à qua dimoueri nos non ſinimus. Ac primùm quidem circa liquidationem doctrinæ, nihil nobis obtrudi patimur, quod Regiæ voluntati & Inſtructioni diſſonet.

Atq; hæc vnica cauſa eſt, ob quam à tot iam diebus ſcripta veſtra non acceptamus, & ne in publico prælegantur, aut protocollo inſerantur, obſiſtimus. Primò quidem, quia multa continent, quæ Partem Catholicorum meritò offendunt, & irritant; quod ſanè non pateretur Sereniſſ. REX, qui etiam veteres offenſas, hoc loco radicitùs aboleri vult, nedum nouas ſuſcitari. 2. Quia multa adſcribunt doctrinæ Catholicæ, quæ nullus Catholicorum docet, quæ, ſi Partis noſtræ declarationem expectare vellent, ipſa per ſe corruerent. 3. Quia multa imputant tanquã dogmata Eccleſiæ, quæ ſunt particulares quorundam opiniones. 4. Quia in multis veram doctrinam Catholicam amarè carpunt, & ſugillant. 5. Quia ſibi Partes aſſumunt explicandi pleraq; dogmata Catholicorum; quod REX vetat, & vetaret maximè, ſi intelligeret hac viâ potiùs tenebras offundi, vel doctrinã inuidiæ obijci. 6. Quia ſine vlla neceſsitate tractatus multiplicant, & ex propoſitionibus, quas breues & paucas eſſe oportuit, integros ferè libros contra mentem S. R. Maieſtatis conficiunt. 7. Quia recedunt ab optima methodo ad conciliandam concordiam, quam exiſtimauit Sereniſsimus REX, faciliùs confici poſſe, ſi quæratur compendium earum doctrinarum, in quibus hactenus diſcordes ſunt ſententiæ, & eo fine præſcripſit iterum atque tertio, vt tantùm capita doctrinarum proponantur, ex quibus videlicet cætera, tanquàm rami à ſtipite, pendent: vt proinde illis compoſitis, cætera omnia ſeipſis in concordiam eant, ſine nouo labore. Itaq; ab optima methodo recedunt, qui omnia penitùs etiam minutiſsima puncta colligunt, & exaggerant, quaſi difficulta-

cultatem concordiæ vellent oſtendere, & terrorem inijcere, non autem viam monſtrare facilis conciliationis, cùm in hoc negotio illud magis curandum ſit, vt intelligant populi, in quàm multis magniſq; Fidei capitibus conueniant, & quàm pauca ſint capita (reuera enim pauca ſunt) in quibus diſsideant. 8. Quia ita totã rem agunt, vt non tam videantur propoſitiones formare, quàm doctrinam iuſtificare; quod non præſentis eſt loci, ſed ad ſecundã actionem ſpectat, in qua alleganda erunt cuiuſq; doctrinæ fundamenta. 9. Quia confundunt actiones, quas S. R. M. diſtinctas eſſe voluit, ſimul enim congerunt propoſitiones, elucidationes, depurationes, anthiteſes, quæ ſunt quatuor diſtinctiſsimæ partes primæ actionis.

Hæc de liquidatione. Pro diſquiſitione autem veritatis, quâ formâ progredi ex præſcripto S. R. M. velimus, ſatis ſuperq; indicauimus. Habetis vniuerſam mentem noſtram, & ſententiam, ex qua quid deinceps deliberandum agendumq; ſit, pro veſtra ſapientia decernetis.

Finita à P. Schönhof allocutione, annuente Illuſtriß. D. Caſtellano Gneſnenſi, R. P. F. Hieronymus à S Hyacintho Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, hunc in modum profecutus eſt.

Clariſsimi DD. Collocutores.

Cùm alterâ hebdomadâ, lectis publicè Regijs literis, in locum Illuſtriſſ. D. D. Supremi Regni Cancellarij, Illuſtriſſ. D. Caſtellanus Gneſnenſis Legatus S. R. M. Dñi Noſtri Clementiſsimi renunciatus eſſet, illicò tanquã ex loco Regio demandauit R. P. Schönhof partis noſtræ Catholicæ Theologo (re prius cùm ipſo priuatim collata) quatenus iuſtis de cauſis, maturo ſuo iudicio trutinatis, & palam expoſitis, inſtructionem præſentis Colloquij à S. R. M. D. Noſtro Clementiſsimo partibus ſeu partium Collocutoribus porrectam, luculentiùs explicaret: paruit ille, vt par erat, & ex ordi-

Digitized by Google

ne ac comiſsione Illuſtriſſ. Dñi, atq; adeò ipſius nomine, ſermone ad partes inſtituit: Declarationem inſuper partis noſtræ Catholicæ adiunxit; qualiter nimirum Regiæ inſtructioni, ſcopo, & mediis ſic explicatis, conſtantiſsimè velit inhærere; & ab his ne latum quidem vnguem deflectere. Idem an Partibus quoq; animus foret ſiſcitabatur. Sermonem præfati Theologi noſtri, aut veriùs Illuſtriſsimi D. Legati, Clariſsiſſ. D. Collocutor Partis Auguſtanæ (cui ſatisfaciendi prouincia, tum ab Illuſtriſſ. D. Legato, tum à parte Catholicorum noſtrorum Theologorum ad me deuoluta) bino, vt notum eſt, excepit reſponſo. Quòd quidem reſponſum ſi compendio expendatur, quatuor videbatur comprehendere. Quædam enim redolebant nonnullam offenſionem, quædam dictorum Theologi noſtri ſiniſtram interpretationem, aut certè minùs rectã intellectionem præferebant, aliqua ad Iuſtificationem ſuæ partis, aliqua ad accuſationem partis noſtræ Catholicæ ſpectabant. Singula eo ordine proſequor.

Ad offenſiua reuocamus primò, quòd D. Collocutor Partis Auguſtanæ, tam in prima, quàm in altera ſua declamatione arguit noſtri Theologi præſumptam (vt vocat) licentiam, & iudicium interpretandi publicè Regiam inſtructionem, non Conſultis Partium DD. Deputatis, & Præſidibus. Piaculum ſanè haud leue foret, ſi quiſquam priuatã temeritate potiùs, quàm Auhoritate, auſu magis, quàm iure fretus, Principis mentem interpretari præſumeret. At crimen huiuſmodi innoxio cuipiam affingere, eſt profectò in ſeipſum retorquere. Catholicæ Partis noſtræ Theologus nequaquam priuata Auhoritate leges interpretari Regias præſumpſit: qui (quantum ad hoc) nec ſuo, nec partis noſtræ Catholicæ nomine locutus eſt, ſed nomine, & Authoritate Illuſtriſſ. D. Legati, vices, & locum S. R. M. Dñi Noſtri Clementiſſ. ad præſens, obtinentis. Quòd ſi crimen erat Legem interpretari Regiã, crimen (ſi fas eſt ſine crimine) in ipſam Regiam perſonam repone-

re

re oportebit, quæ ore Theologi Regij interpretationem Regiæ voluntatis pronunciauit. Quapropter deſiderabatur hac in parte, maior D. Collocutoris Aug. Confeſſ. (alioqui prudenti, & moderato viro familiaris) tum cautela, tum modeſtia. Modeſtia quidem, vt ab imputata in vtroq; ſermone, præſumptione abſtinuiſſet, nec contra noſtræ Partis Theologum, adeò immeritò inuectus fuiſſet. Cautela verò, ne Perſonam Illuſtriſsimi D. Legati Regij læſiſſet. Cùm enim probè intellexiſſet, Illuſtriſſ. D. Oratorem Regium, palam, & diſertis verbis noſtro commiſiſſe Theologo, illam, quam fecit, mentis Regiæ explicationem, & interpretationem: iterúq; reprehenſum paulò ante audijſſet Collocutorem Partis Reformatæ, de præfati Theologi noſtri Cenſura, tanquã in ipſum Illuſtriſſ. D. Legatum redundante, ſuſpicionem euadere vix potuit, quòd non tam Theologum noſtrum, quàm ipſum Illuſtriſſ. D. Legatum perſtingere voluerit. Qui quidem ſicut ex munere Illuſtriſſ. D. Legati independentẽ, ab vllo, præterquam à ſola S. R. M. Dño Noſtro Clementiſſ. Authoritatem obtinet, ita in omnibus quę ſunt ſui officij (quale eſt mentem Regiam explicare) à nemine dependere adſtringitur.

Creuit offenſa ex Parte D. Collocutoris Auguſtani, cùm adſtruxit, per adhibitam (verba ſunt illius) nouæ interpretationis Regulam, media à S. R. Maieſtate propoſita obſcuriora videri facta. Profectò diſtinctio, & ordo partium Actionis primæ, tam dilucidè, & egregiè ac textui Regio conformiſſimè ab Illuſtriſſ. D. Legato per Theologum noſtrum propoſita. Cenſuram tam acrem, à D. Collocutore Auguſt. immeritò, & minùs cautè ſubijt, ſiue perſonam Regij ſpectemus Oratoris, cui par obſeruantia, reſpectu muneris ſui debetur, ſiue ipſam Clariſsimam, numeriſq; omnibus abſolutam explicationem illius, conſideremus. Quid enim clarius dici poterat, quàm actionis primæ hunc ordinem à S. R. Maieſtate præſcriptum eſſe, vt primò quidem pro-

poſitiones ſuæ doctrinæ partes ſibi inuicem porrigant. Deinde porrectas ſi opus fuerit ſcripto, vel voce declarent, tandem ab imputationibus depurent, vltimò demùm ea, in quibus non conueniunt, per Antitheſes planas exhibeant. Eiuſmodi claram explicationem, maiorem vocare obſcuritatem, non intelligo, quâ ratione poſſimus: niſi forte lucem ponamus tenebras, & tenebras lucem. Hic quidem paulò liberiùs excurrendi occaſio inuitat, ſed intra Cancellos lex Charitatiui Colloquij (euocatum licet) continet: nec inuidiam, aut odium aliquod D. Collocutori conciliare opto, ſed illud duntaxat, quod ex dictis illius afficit, depromere intendo.

Acceſsit & illud, quod meritò partem noſtram offendere potuit, & de facto offendit; quia & ipſe D. Collocutor Partis Auguſtanæ diſsimulare non potuit, quin perſtringeret noſtrum Theologum, eò quod Religionem noſtram Catholicam, quam vocant Partes Romanam, appellauerit in hoc inclyto Regno Matremfamilias, Dominam, & Hæredem, vt potè quæ ſuo ſchemate nota, ab initio ſuſcepti Chriſtianiſmi, in noſtra hac Patria, etiam tunc quando à Partibus corrupta iam Eccleſia cenſetur fuiſſe, Supremo Capiti Eccleſiæ, Romano Pontifici, obedientiam deferens, ſicut hucuſque defert, pulſo Ethniciſmo, velut iniquo poſſeſſore, primum ius Matrisfamilias ipſa poſſedit, & hucuſq; eam prærogatiuam iure hæreditario obtinet, ſuiſq; alumnis velut obſequentiſsimis Filijs, non mancipijs, materno dominatur priuilegio. Ipſa eſt (liceat mihi pace veſtrâ) de Religione noſtra Catholica, quæ ſentio pronunciare (ſicut liberum fuit Partibus de ſua quæ placuit, proferre) ipſa eſt, inquam, quæ quaſcunq; Religiones alias, à ſe Diſsidentes, Chriſtiano licet cenſeantur nomine, hîc præceſsit, non ſubſecuta eſt, non illa apud yllam ex ipſis, gratiam hoſpitij poſtulauit, vel cameræ receptaculum conduxit, vel Partis ſecuritatem obtinuit, illas potiùs peregrinas, nec hîc enatas, ſed ex vicinis ex-

ter-

ternisq; Prouincijs aduentantes, Principum, ob varios reſpectus
Politicos, benigniore condeſcenſione & indulgentiâ admiſſas, ſuſti-
nuit. His de cauſis appellatam Matremfamilias, à noſtro Theo-
logo æquum erat diſsimulare D. Collocutori Auguſtano, quam-
uis per modum præteritionis, quo cauſas inuidiæ à ſe remoueret,
tanquam ad Cathedras Theologorum minus ſpectans, Patrono-
rum id diſcuſsioni remiſerit. Satiùs conſultuſq; omiſiſſet & of-
fenſam euitaſſet.

Venio nunc ad ea, quibus D. Collocutor Auguſt. indicat ſe Re-
gium Theologum noſtrũ, vel aliter intellexiſſe, vel ſiniſtrè inter-
pretatum eſſe. Arguit quippè eum, quòd in ſermone ſuo, quem
dicit, vel forſan notat, ipſum prælegiſſe (more quippè Doctorum
Virorum, alibi paſsim vſitato, & noto, longiores huiuſmodi ſer-
mones maturiori conſilio, & præmeditatione, ſcripto conceptos,
non recitando, ſed magis prælegendo, declamamus) arguit, inquã,
quòd in illo ſuo ſermone, quem dixit, noua inferat poſtulata, no-
uas iterum leges inſtauret, tranſacta rurſum reuocet: Hæc ſi pro-
prijs Theologi noſtri verbis comprobaſſet, cauſam euiciſſet: no-
ui nihil à parte Auguſt. poſtulatum eſt. Non de nouis legibus cõ-
dendis, ſed de conditis à S. R. M. Dño Noſtro Clementiſſ. fideliter,
& exactè ſeruandis actum eſt. Tranſacta deniq; volumus, cum
illo eſſe tranſacta: at non tranſactis, opponimus tranſacta. Me ex-
plico magis. Quidquid de æqualitate inter partes tranſactum in A-
ctis publicis legitur, minimè retrò agimus: porrò quidquid in-
æqualitatis, & iuriſdictionis, ſiue Ciuilis, ſiue Eccleſiaſticæ, ſpeciẽ
præſeferre videtur, excluſum ab hoc Colloquio cõmuni partium
conſenſu, in controuerſiam quidem nunc non vocamus, ſed A-
ctis diei ſecundæ Septemb. diligenter inſpectis conſignatum, non
legimus. Quæſtionem tantùm de æqualitate locorum pro Collo-
cutoribus actu colloquentibus, vt commodè ſe inuicem audire
audiriq; poſsint, eâ die ab Illuſtriſſimo Dño Legato per deſigna-

tum

Digitized by Google

tum locum, ad menſam hanc in medio ſitam, deciſam reperimus.

Nec illud quidem ſatis benè intellectum, aut interpretatum cenſemus, quaſi ordinem agendorum in prima Actione, ipſarũq; propoſitionum affirmatiuarum, & negatiuarum intercapedinem, dierum aut hebdomadarum interuallo Theologus noſter diſtinxerit, quo ſugillari non nihil videtur, quaſi cum noſtra parte Catholica inutiles moras, non modò per dies, ſed etiam per hebdomadas nectere velit, prætextu porrectæ explicationis Regiæ Inſtructionis; cùm tamen nihil magis habeamus in votis, nihilq; magis cordi nobis eſſe iam probauerimus, noſtraq; mox ab initio huius negotij prompta expeditione, & frequentibus inſtantijs, ſcriptis etiam conſignatis, quàm vt agenda ageremus, omiſsis ad rem noſtram non ſpectantibus.

Tandem & illa reſolutio, quâ noſter Theologus ſuã noſtramq; mentem declarauit, *Nihil, nihil omninò nobis innouandum eſſe*, trahitur à D. Collocutore Auguſtano, ad Fidei noſtræ & Religionis, quam profitemur, immobilem, & inflexibilẽ conſtantiam. Quod tamen (vt palam conſtat ex Actis) Theologus noſter longè diuerſo fine protulit, nihil videlicet contra leges S. R. M. Dñi Noſtri Clementiſſ: ſcopumq; ab illo præfixum, nos velle agere, immutando, vel innouando aliquid ex his, quæ Priuilegia, prærogatiuas, libertates, cæteraq; Politica concernunt. Cæterùm, vt aliquid inſtantiſsimæ, hac occaſione, poſtulationi Dñi Collocutoris Auguſtani obſecundando, condeſcendamus, quo rogatos vult DD. Collocutores Partis noſtræ Catholicæ, renuntient vt aliquid ſuæ obfirmationi, ex qua pronunciarũt, ſe *nihil, nihil* omninò in ſuo ſenſu remiſſuros eſſe, alioquin ſi in limine, inquit, Colloquij hoc edixiſſent, bonam partem & temporis, & operæ huic Colloquio impenſæ, potuiſſe redimi; Bono eſſe animo volumus Clariſſ: D. Collocutorem cum ſua Parte Auguſtana, Bonam partem temporis & operæ huic Colloquio impenſam, & impendendam, non

inuti-

Digitized by Google

inutiliter collocatam vt intelligat, fore confidimus. Nequaquam adeò nos obſtinatos, & obfirmatos, ac illiberales ſibi perſuadeat, in ipſa quoq; materia Religionis, quaſi nihil, nihil prorſus remiſſuri ſimus, ſexcenta & ampliùs remittemus. Plauſtra, non modò libros onerare, non tantùm implere, poſsit his, quæ haud inulti donabimus, imò iam vel anticipatè (ſi placet recipere) donamus. Renunciamus quippè plurimis erroribus, de quibus Auguſtana Religio perſuaſa, noſtram Religionem eſſe obnoxiam. Attentos velim Auditores & benè capaces. Renunciamus, inquam, omnibus ijs erroribus, non quibus vnquam illibata ſemper ſacra Religio noſtra Catholica, quam vocatis Romanam in ſe ſit obnoxia, ſedquibus in veſtra opinione, vel perſuaſione, vel etiam imputatione nigreſcit. Non iam loquor de imputationibus, quas paſſim leuioris notæ homines in vulgus chartis, aut verbis hactenus ſpargunt, ad illas me reuoco, quibus plena eſt Confeſsio Auguſtana, Apologia ipſius, articuli Smalchaldici, & ſi quos alios pro ſymbolicis libris habetis. Iam ex his partem non exiguam noſtro ſcripto pro ingreſſu ad primam actionem concinnato, hîcq; publicè prælecto, collectam reperietis: collecturi adhuc ſumus multo plura ſi libebit. permittite duntaxat, eâ nos liberalitate vobiſcū agere. Equidem ſi pro veſtra humanitate non impediueritis, noſtram vt fidem, & Religionem ab huiuſmodi imputationibus integrè depuratam exhibeamus, bonam partem temporis & operæ huic Colloquio, non malè impenſam fore confidimus.

Forſan aliquid ampliùs expectaſtis, aut expetijſtis per Veſtræ Partis D. Collocutorem? vt nimirum ex ipſis quoq; inconcuſsis fidei noſtræ articulis, aliquid in gratiam veſtri remitteremus? inſigne porro ſtratagema, quo vel priuſquam congrediamur ſuccumbamus. Quid enim reliquum eſt fidei, quam remittere licet? ſiquidem illam, vel vnicus error corrumpere ſufficit. Nunquam fidē noſtram Catholicam antiquiſsima poſſeſsione ſuæ certitudinis, tot

ſæculis firmatam, aleæ præſentis Colloquij animus fuit exponere: idq; vel ipſis vobis ſemper fuiſſe, & eſſe perſuaſiſsimum, pro comperto habemus. Longè alia eſt fidei noſtræ Catholicæ Conditio, quàm, vt diſcuſsionibus infallibilis ſuæ veritatis, & certitudinis à nobis ſubijci vnquam debeat, vel patiatur. Arundinea non eſt, quæ hinc inde agitetur: Petra eſt quæ fluctuum impetus frangat, non ab ipſis frangatur. Ea nos certitudine de fide noſtra Catholica decet eſſe perſuaſos; vel vobis ipſis approbantibus, illa quæ fide diuina creduntur, immobiliter credi oportere: Ni forte exiſtimetis nos in ea, quàm (DEO miſerante) profitemur Religione, vacillare, & ſimiles fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur, in fide noſtra hæſitare, fidem denique ſine fide poſsidere, nec quòd credimus, verum eſſe prorſus credere. Vobis porrò, qui aliter de fidei noſtræ ſanctitate opinamini, licet in eam periculum facere, & validiſsimis, quibus præualetis machinis illam impetere: nobis interim, non vt dubijs, ad diſcuſsionem fidem noſtram exponentibus, ſed velut ſecuris, contra impetus veſtros, illius quàm diximus certitudinem ſtrenuè defendentibus. Et ſi quidē omnes vires veſtras in caſſum (vt confidimus) deprompſeritis, imò exhauſeritis, in eandem quòd ſummopere optamus ſententiam felici coniunctione nobiſcum venire licebit: at non antè, deditionem noſtram liceat expoſcere, quàm munitiſsimum caſtrum noſtrum expugnaueritis: Euincite priuſquàm remittamus, quòd de fide noſtra remittere debeamus: nec ante victoriam captiuos abducatis. Sed nec tanti eſt apud nos momenti allegata à D. Collocutore Caroli V. Authoritas, vel potiùs animoſitas, quâ dicitur non erubuiſſe confiteri, ex parte ſua Catholica eſſe aliqua ſecus, à ſcripturis tractata, & intellecta, quæ ad Chriſtianorum concordiam corrigi oporteat: iudicium Principum ſæcularium, quantâuis dignitate, vel ipſo etiam Diademate inſignitorum, apud nos in cauſis fidei, & religionis, nequaquam eſt irrefragabile. Dixerit hæc

ſane

Digitized by Google

ſanè Carolus V. & ita cenſuerit. Opponimus, primum ſacris Chriſtianæ Religionis initiatum Imperatorem, Conſtantinum Magnum; poſt hunc Gratianum, Martianum, Valentinianum Seniorem, Theodoſium Iuniorem, Martinum, Baſilium, pleroſq; cæteros laudatiſsimos Imperatores Chriſtianos. Adiungimus etiam Gentiles, vt Aurelianum, etiam Arianos, vt Theodoricum Regem Gottorum, qui in rebus fidei, & cauſis Eccleſiæ, Epiſcopis & Paſtoribus iudicium detulerunt, non ſibi arrogarunt. Notabile eſt illud S. Athanaſij, abominationem deſolationis à Daniele prædictam vocantis, ſi quando Princeps ſæcularis, iudicijs præſideat Eccleſiaſticis; ſanè & ipſe Sereniſsimus, & pijſsimus REX Noſter D. Clementiſſ. VLADISLAVS IV. adeò hac in parte ſe exhibuit cautum, vt non modò quicquam facultatis de rebus ad fidei, & religionis ſubſtantiam ſpectantibus ſibi vſurpauerit: quin etiam in prudẽtiſsima ſua Inſtructione cauerit, ſcripta partiũ priùs quidẽ Legato, & Deputatis tradenda, ſed non, vt illi de doctrina eiuſq; veritate, vel falſitate iudicent, verùm; vt duntaxat videant, num aliquid ſit inſertum, quod partem oppoſitam meritò poſsit offendere. Habent ſanè Principes, aliud circa Eccleſiam officium: non dijudicandi de dogmatibus Eccleſiæ, ſed illius incolumitatem tuendi, & propugnandi. Gladio Imperatorum Eccleſia protegitur, mamilla Regum lactatur; ſenſu, & iudicio illorum non regitur, obſequentes potiùs hac in parte, ipſos Imperatores, tanquam filios, experitur.

Nec Carolus quidem Quintus optimè aliâs de Eccleſiaſtica Repub: meritus, ac pro fide Catholica zeloſiſsimus Imperator, contrarium aliquid creditur præſumpſiſſe, aut præſumptuoſè protuliſſe, de his præſertim, quæ dogmata Fidei concernunt. In materia morum fortaſsis correctionem aliquam legitur deſideraſſe. At neque in huiuſmodi cenſura diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſegniores Eccleſiæ Catholicæ Prælatos poterit quiſquam arguere, qui

 non

non ſolùm in nouiſsimo Generali Concilio Tridentino, tot de Reformatione capita legerit, tot ſtatuta viderit, ſed etiam in pleriſq; Synodis Prouincialibus & Diœceſanis, de morum correctione, de abuſuum extirpatione, maturis conſilijs, prouidè & accuratè deliberari perſpexerit. Quod ſi his non obſtantibus adhuc neceſsè ſit venire ſcandala, & aliquos abuſus contingat deprehendere in Eccleſia, Cætus alienus, qui ſine peccato eſt, mittat in eam lapidē. Cæterùm manum de tabula retrahimus; Ad tertiam actionem, remittimus, quod occaſione dictorum à D. Collocutore Auguſtano, de Carolo V. obiter tetigimus.

Progredior tandem ad ea, quibus D. Collocutor Auguſtanus iuſtificat ſuæ Partis, accuſat verò noſtræ Partis cauſam. Iuſtificat ſuam cauſam, cum ſuo ſuorumq; nomine ſummis votis exoptat, quò conſilium Regium præſentis Colloquij DEVS Opt: Max: ſecundet. Factis, optamus, fidem vt conciliet dictis: & ex parte ſua non modò nullum felici exitui huius negotij obicem aut remoram interponat, verùm etiam conteſtatâ promptitudine cooperetur. Adiungit ſuam ſuorumq; erga eiuſdem S. R. M. Dñi N. Clementiſſ: Inſtructionem, debitam obſeruantiam & ſubmiſsionem, noſtrâ non inferiorem. At in eo facit nos non nihil hæſitare, ſiquidem, vt in priori ſermone declarauit, Inſtructionem, Regiam legis loco non recipit: quo ipſo licitum ſibi contrauenire illi indicat, cùm tamen S. R. M. Dñs N. Clementiſſ: in literis patentibus, ad Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: D. Epiſcopum & Præſidē noſtrum, datis, conceptis exprimat verbis, ſe Inſtructionem ſuā exactiſsimè velle ſeruari. Hinc nos Catholici Theologi, etſi alioquin probè nouerimus, poteſtatis Secularis legibus Statum Spiritualem & Eccleſiaſticum non ligari, ſponte nihilominùs, quaſi pro lege eaq; inuiolabili præfatam Manuductionem Regiam, velut prudentiſsimam, & ſcopo huius Colloquij appoſitiſsimam, cum ea quâ par eſt reuerentia, & æſtimatione acceptauimus, Dños

Theo-

Digitized by Google

Theologos Auguſtanæ Confeſsionis, qui non modò in cauſis ciuilibus, verùm etiam Spiritualibus, Magiſtratus ſecularis iuriſdictionem recognoſcunt, quiq; vel ipſis Proconſulibus Ciuitatum vltro parent, multò magis ſupremæ poteſtati Regiæ, nihil in Religione ipſorum innouanti, congruentiſsimum duntaxat ordinē Colloquij præſcribenti, & iuriſdictionem recogni turos, & promptè parituros, imò in eo nobiſcum certaturos, omninò perſuaſum habuimus.

Eſt aliud, quod in ea perſuaſione faciat nos ampliùs hæſitare: cùm enim S. R. M. Dñus Noſter Clementiſſ: ab hoc Colloquio tam impenſè arceat ſtrepitum, & conflictum diſputationis, vt ne quidem nomen diſputationis in toto hoc Negotio vſurpari vnquā voluerit, è contra D. Collocutor Partis Auguſtanæ, tot tantiſq; verbis vrget diſputationis opus, & neceſsitatem, vt ſine illa præſens negotium nullâ ratione confici poſſe arbitretur. Vnum hic vel alterum dici oportet. Aut D. Collocutor putat S. R. M. Dñum Noſtrū Clementiſſ: omnem diſcurſum naturalem, & proprium rationis munus, penitus interdicere, & ab hoc Colloquio ablegare; ſic porrò indignè mens Regia detorqueretur, quaſi nos homines rationales, nec humano, nec rationali modo velit agere; cuius etiam contrariū nō ſemel expreſsit S. R. M. mentionem faciens, non tam circa primā actionem, quàm circa ſecundam, probationū & trinarum etiam inſtantiarū ſiue oſtenſionū, quæ omnia ſine diſcurſu fieri nequeunt: aut certè putat D. Collocutor diſputationē ſecundùm leges Logicæ artificialis, ſiue non tam vſum, quàm abuſum illius S. R. Maieſtatem voluiſſe inhibere. Hic Regiam mentem attigit; ſed illam tot verbis impugnare non licuit, nec decuit niſi profeſſæ erga S. R. Maieſtatem oblitum obſeruantiæ. Mens planè Regia eſt, non naturalem, imò neq; ex integro artificialem Logicam ab hoc arcere Colloquio, ſed potiùs contentioſam, & in immenſum protractam diſputationem, quam etiam

nomine ingenioſæ argumentationis, & interminatæ argumentorum conflictationis, indigitauit. Scilicet præcauere placuit S.R. Maieſtati D.N. Clementiſſ: ne fortaſsis (vt vulgò fieri ſolet) non vitio Logicæ artificialis ſed deflectentium ab ipſa arte, diſputatio in contentiones, Theologicæ veritatis inueſtigatio in Logicales difficultates, extraneas controuerſias, quæſtiones tandem interminabiles non tam deſinat quàm excurrat, denique non vſque ad conuincendum, quo fertur conditio diſputationis, ſed quantùm ad prudentiale duntaxat de collatis inter nos iudicium colligendũ ſufficeret, diſceptare nos voluit. Hunc ſenſum & non alium mentis Regiæ fuiſſe, Regius Theologus noſter diſertè aperuit, & congruâ Apoſtoli authoritate firmauit. In eo porrò ſenſu plurimos ſacrarum literarum Interpretes locum Pauli accepiſſe, ſi D. Collocutor non meminit (vt ipſe dicit) ad eos recurrens labili memoriæ ſuccurret, & Doctiſsimum Theologum noſtrum, non temerè, nec contra, aut præter communem omnium expoſitorũ ſenſum, locum vtrumq; Pauli explicaſſe, fatebitur. Et illud nihilominùs ſibi perſuaſum habeat, nos Regiæ quidem menti & voluntati obſecundando, non autem ſcholaſticæ diſputationis energiam detrectando, ab hoc concertationis genere velle pro nunc ſuperſedere. Licet nihilominùs alioquin experiri, quantum etiam in hac palæſtra ſimus exercitati, dummodo (quod nobis cauemus) vis & neruus legitimæ argumentationis titulo, & ſpecie prætenſæ ſophiſticationis, (quod vulgò fieri ſolet) non inſigniatur.

Tandem (quòd adhuc ad iuſtificationis cauſam ſpectat) innocentia, ſedulitas, promptitudo, quàm D. Collocutor pro ſua parte Auguſtana, in decurſu totius Colloquij eo vſq; allegat, an ex toto, vel ex parte ſubſiſtat, ex Actis ſuo tempore patebit. Media liquidandi ſuam doctrinam, ea integritate, à ſe propoſita aſſerit, vt doctis pariter, & indoctis abundè ſatisfactum arbitretur. Vereor ne

hanc

Digitized by Google

hanc laudem illi eripiant, vel ipſi ſui Auguſtani: qui in Boruſsia corpus ſuum Prutenicum, eo, quem ipſi prætendunt, honore, & æſtimatione ſpoliatum, & poſthabitum, docti pariter, & indocti grauatè, haud dubiò ferent: quod tamen nos minùs afficit.

Afficit magis (idq; ad vltimum iam punctum ſpectat) quòd D. Collocutor iuſtificata (vt putabat) ex integro ſua, ſuæq́; partis cauſa, noſtram indirectè partem accuſat, dum aliqua, à nobis poſtulat, quæ ex obliquo videntur cauſam, & culpam moræ huius Colloquij in nos refundere. Poſtulat quippè reliquam partem Actorum nondum reuiſam recenſere; quaſi per nos ſolos ſtet, aut ſteterit vnquam, nondum recenſitam; cùm ſemper ad recenſendū præſto ſint noſtri infatigabiles Notarij. Poſtulat item propoſitiones ſuæ partis, ab aliquot diebus oblatas, in publico prælegi, ſicut noſtræ, & Reformatæ partis prælectæ ſunt: quaſi non potiùs nos earum correcturam, Iudicio DD. Deputatorum faciendam, ab ipſis hucuſq; ad faſtidium præſtolemur, quàm prælegere differamus. Media liquidandi noſtram doctrinam cauſatur hucuſq́ue non integrè propoſita: quaſi non iam toties à nobis declaratum ſit, ad præſens negotium, alia præter porrecta, non eſſe opus porrigere: per partem item Auguſtanam ſtetiſſe, quòd alia non ſint propoſita. Deniq; ſicut nos vltra ea, quæ à DD. Auguſtanis nobis vltro ſunt porrecta, alia quæ nobis quoq; videbantur, adhuc ab ipſis in eundem finem porrigenda, importunè non exigimus, nec ideo negotium Colloquij retardamus: ita DD. Auguſtanos propoſitis, à nobis præſtat eſſe contentos, nec alia importunè extorquere: aut certè diſertè proponant nobis quænam dogmata fidei inter nos, & illos controuerſa, ex his quæ porreximus medijs nequeant liquidari? Hæc ad contenta in ſermone D. Collocutoris, fuſiùs quidem quàm optaram, at non vltra quàm ratio, & neceſsitas exigebat, proferenda indicaui.

In Epilogo D. Collocutoris placet ſubſiſtere, & terminare: vbi

vbi ille fiduciam nunquam extinguendæ veritatis in illo maiorum ſuorum Symbolo, *Verbum Domini manet in æternum*, expreſsit, & concluſit. Vocauerat quidem ille in decurſu ſui ſermonis, ex quadam occaſione, nouas ſermonum concertationes, nouas acies. Equidem non ſumus, tam delicati, vt vocabulum aciei nos pungat: non adeò ſuſpicioſi, vt ad cuiuſuis inſtrumenti, vel vocabuli bellici mentionem Catafractum ex ore militem prodire imaginemur, perterritiq; terga vertentes, ex arena deſcendamus. Deniq; non tam prauæ diſpoſitionis, aut tam paruæ (vt ſic loquar) Latinitatis, vt aciem verborum, Claſsicum Diſputationum, ad Spiritus bellicoſos, & fragorem armorum, vel detorqueamus, vel vtrumq; confundamus. At diſsimulare non poſſumus Symbolum illud maiorum veſtrorum nobis non parum ſuſpectum. Meminimus quippè legiſſe nos aliquando in Geſtis Germaniæ, quoſdam occaſione, & prætextu Religionis, rebellionem contra memoratum Imperatorem Carolum V. meditatos, (quam poſtmodùm minùs fauſtis auſpicijs inchoatam, triſtiori fato terminarunt) hæc pro Symbolo, & teſſera verba habuiſſe, *Verbum Domini manet in æternum*. eorumq; initiales literas ſuis veſtibus affixas prætuliſſe. Non opinor Clariſſ. D. Collocutorem, eò ſuo Epilogo voluiſſe alludere: hoc demùm quippe à ſcopo, & indole huius Colloquij foret, non parum abludere. *Verbum quidẽ Domini maneat in æternũ*, at hoc Symbolum, quâ nobis eſt, aut poteſt eſſe ſuſpectum, ab hoc inclyto Regno exulet in æternum.

Cùm finem dicendi feciſſet R. P. Hieronymus à S. Hyacintho, ſubiunxit Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſ. Epiſcopus Samogitiæ.

Clariſsimi Domini Collocutores.

Experimur quotidie magis magiſque impediri progreſſum Negotij; vobis, ſcripta quædam vt prælegantur

tur

tur, vel Protocollo inſerantur, vrgentibus, nobis eadem ex iuſtiſsimis cauſis non admitttentibus. Suggerimus medium: mittamus iam diſceptationem hanc de toto ſiſtemate ſiue noſtræ ſiue veſtræ Doctrinæ, & in aliud tempus differamus. Interim ordiamur ab vno quopiam ſingulari capite quale v.g. foret illud, quod eſt de Regula credendi. Ipſum aggrediamur, in propoſitiones breuiſsimas redigamus, mox elucidemus, iterùm ab imputatis erroribus vel opinionibus purgemus, tandem antitheſes eliciamus. Ita deinceps progrediamur ad alia capita. Hoc nobis viſum eſt vnicum remedium: & vel hac ipſâ horâ parati ſumus prodire in medium, & idem vt vtraque Pars alacriter facere velit, poſtulamus & inuitamus.

Poſt hæc Clariſſimus D. Hülſemannus ex occaſione verborũ quorundam R. P. Hieronymi de Symbolo illo: Verbum Domini manet in æternum, *hanc proteſtationem intulit.*

Illuſtriſſimi & Reuerendiſsimi Domini quæ publica ſunt, mittam, vt Illuſtriſſimus D. Caſtellanus Chelmenſis priùs poſſit ſententiam dicere. Sed hic occurrit aliquid priuatum, de quo ſilere tanquam ſubditus Sereniſſ. Electoris D. mei Clementiſſimi non poſſum. Verba illa quæ Rebellionẽ aduerſus Carolũ V. præſeferebant, iniurioſa ſunt. Ex actis publicis cõſtat, quinã illi fuerint quos & æquitas & ius naturale coegit arma defenſiua ſuſcipere; velle autem illa arma eorumq́ expeditionẽ in publico rebellionem dicere (dabunt mihi veniam Illuſtr. Veſtræ) hoc demùm eſt, quod præterire non poſſum. Reuoco mibi verba illa ad animum, & peto ſatisfactionem fieri, tam Sereniſſ. Principi Sax. qui tamen eſt Summus Dux & Vicarius Imperij, & de Republica non tam male meritus, vt Serenitatis Suæ Maiorum arma defenſiua rebellionis

crimine notari mereantur, quàm toti Domui Saxonicæ. Et peto, vt Authoritate Illuſtriſsimarum Dominationum Veſtrarum referant Notarij in acta (niſi id iam ſua ſponte agunt) proteſtationem meam de imputatione rebellionis.

Subiecit D. Boianowski liceat nobis deliberare quia multa ſunt imputata, quæ non poſsumus pati & proinde proteſtamur. Accepimus tot inſtructiones ſex vel decem, & Reuerentiarum Veſtrarum non eſt nobis leges dare.

Reſpondit R. P. Schönhof, obſecramus ne Mag. D. Veſtra pro Authoritate aſſumat Sibi poteſtatē nos reprehendēdi. Veneramur Mag. Veſtram tanquam Deputatum ſuæ Partis. Habemus, qui nos reprehendat. Interim quantum Iuris eſt Mag. Veſtræ eo fruatur rogamus, citra noſtram reprehenſionem.

Repoſuit Magn. D. Boianowski. Et nos Reuerentiam veſtram rogamus, vt idem viciſsim faciat. Reſpondebimus ſingulari ſcripto.

Tum Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Chelmen. in hunc modum diſſeruit.

Intentio prima fuit demonſtrandi Inſtructionem S. R. M. Dñi N. Clementiſſ: normam eſſe, quâ obſeruatâ negotium propoſitū accelerari & moræ omnes reſecari poſſent. Si intra cancellos iſtos allocutiones manſiſſent, certè iacturam temporis non pateremur, non propter intentionem illam vrgendi, vt ſatisfiat Inſtructioni S. R. M. ſed quòd multa admixta ſint, quæ reuera ad hanc intentionem non pertinebant. Iam apologias nectimus, longaſq; ædificamus antapologias, ædificio illo, quod S. R. M. à nobis publicè laudatiſsimo exemplo requirit, relicto, iam aliud ædificamus. Ita indirectè accuſamus nos morarum, vt certè ſi ita pergamus, nulla apologia, quamuis longiſsima, ſufficiat, quæ nos coram S. R. M. & Orbe vniuerſo excuſabiles faciat. Proinde etſi iteratio reſponſionis à Parte DD. Catholicorum requireret deliberationem & procraſtinationem replicationis, attamen (iam loquor vt vnus

ex Præ-

ex Præſidibus S. R. M. deputatus) mihi minùs neceſſarium videtur, vt longas nectamus apologias. Impendimus plùs quàm bihorium iſtis prælectionibus prolixorum ſcriptorum, fortè duodecim dies inſumerentur, reſponſionibus iteratis. Proinde illa pars temporis, quæ nobis relinquitur, non impendetur huic negotio primario, ſed acceſſorio. In reſponſione iam prælecta, obiectum eſt Oratori noſtro, illum vulnera intuliſſe, ſarcaſmos etiã admiſcuiſſe, ratione verbi illius *claſſicum*, certè non ea mens fuit Oratori noſtro vulnera inferre. Ille proteſtabatur coram DEO & nobis, ſibi non fuiſſe eam mentem: & ſi culpam imputare alicui viſus eſt, tamen cum interturbatus fuerit in ea periodo, quâ verba illa protulerat, impeditus fuit, vt poſtea ſubſequentibus verbis explicare priora nequiuerit, & potiùs viſus eſt incaleſcere, voce, & geſtu, quàm affectu. Quod ſarcaſmum attinet, proteſtabatur multum abfuiſſe ab intentione ſua. Nam ſi allegoriam ſuã de claſsico ita repetijt, vt remoueret opinionem à ſe ſuiſq; Fratribus, infeſtarum diſputationum, aut bellicoſæ animoſitatis, tamen non eo animo fecit, vt obijceret alienam à verbis Partis Catholicæ animoſitatem. Certè, ſi verum fatendum eſt, multa & in priore allocutione, & in hac poſteriore inſerta ſunt, extra rem, quæ potiùs ad aliam partem actionis referri debebant. Extra rem illud erat, in prima & in hac iterata allocutione, aliquam Religionem Dominã vocare, & ita innuere, alteram eſſe ancillã. Nobis, id eſt, Nobilitati iniurioſum videtur; & quoniam repetitur, nos etiam repetimus, læſam eſſe hac in parte Nobilitatis libertatem. Regem habemus & Dominum, & ita Dominum vt Patriæ Pater ſit. Habemus leges, nexus, Confœderationes, quæ innuunt, ita hoſpitam eſſe vnã Religionem, vt alteram. Regnum illud eſt, quod hoſpites capit, introducit & honorat. Præterea nihil fit ſine nobis, fide, honore, & conſcientia libertates noſtras ſtabilimus. Hæc tria arctiſsimo nexu coniuncta oſtendunt, nullum hic Dñum, nullum ſeruum

 in Re-

Digitized by Google

in Religione eſſe, ſed omnes Fratres. Fraternè inter nos paciſcimur, proinde impropriè dictum putamus Religionem aliquam Dominam eſſe. Deinde illud etiam fortè minùs benè intellectũ fuit, Oratorem noſtrum læſiſſe dicto, facto, Illuſtriſſ: D. Præſidẽ. Certè virtus & dotes Illuſtriſſ: D. Præſidis, non merentur reprehenſionem, & ita omnibus patent, vt nullus audeat facto & verbo lædere. Si dictum de veritate & dignitate, non id detorqueri poteſt ad aliquam æmulationem dignitatis, ſed ita accipienda ſunt verba, vt dicta ſunt, non deflectenda ad explicandam aliquam iniuriam. Optimè dicitur à Rñdo Patre licuiſſe Inſtructionem interpretari; ſed non licuiſſe obijcere aliquid alicui, cùm nulli Parti aliquid obiectum fuerit. Idem regerimus quod interpretatio Inſtructionis neminem lædere potuit, ſed multa addita ſunt, quæ lædere poterãt, & de facto læſerunt. Itaq; ſi Inſtructionem S. R. M. quis interpretetur, nullus ad iniuriam trahere poteſt. Competebat id Illuſtriſſ: D. Præſidi, vt declararet Inſtructionem eam eſſe ſequendã, & ſic nulla iniuria facta fuiſſet, ſed remouenda ea erant, quæ minùs eò pertinebant. Satis hac in parte declarauimus mentem noſtram, nos non recedere ab ea per omnes actus, paratoſq; eſſe procedere. Præliminaria iam abſoluta; vt baſis ſtatuatur liquidationum, proponuntur certa fundamenta, quæ liquidari tanquã vera, vel refutari tanquam falſa, debent. Tolerantiam quod extendere voluerit in diuerſos ſenſus, hoc minùs neceſſarium arbitramur. Scopus S. R. M. eſt vt veritas pateſiat, ſed de tolerantia aliqua loqui non huius eſt loci, vel quæſtionis.

Quoad Politicam tolerantiam, illa eſt indubitata, & quoadúſq; libertas manebit, tolerantia diuerſarum Religionum in hoc Regno manebit inconcuſſa, niſi forte fratres conuertantur in hoſtes, quòd Deus auertat à Patria noſtra. Attulit R. P. rationes quare ſcripta noſtra non acceptentur, & quidem quia ſunt diffuſa. Certè puto illud breue eſſe, quòd totam rei explicat naturam; illud non ſolùm

breue

breue non eſſe, ſed etiam non adæquare rationem rei, ſi aliqua eſſentialia omittantur. Propoſuimus propoſitiones noſtras breuiter; etiamſi multa ſint verba, abeſſe tamen non potuerunt ſalua rei eſſentia, ſuntq; tam generales, vt trahi non poſsint ad iniuriam: ſi diſplicent refellantur, ſi placent approbentur. Si quis contrarium ſtatuat, non eſſe illam Catholicã ſententiã, & ſcrupulos habeat, audiendus eſt, & ſcrupuli eximendi ſunt, vt conſtet, ſi id verè, an falſò imponatur toti vniuerſitati. Vt ergo præcidatur anſa vlterius moras terendi, pars noſtra Reformata, etiamſi videat multa in repetitione ſcripti iſtius, iam prælecti contineri, ad quæ neceſſariò fuſẽ erat reſpondendum, tamen vt oſtendat ſe in penetralia huius negotij velle deſcendere, iam præterimus illa, rogantes ne in poſterum cathedram introducamus in hunc conſeſſum: tam enim longæ Apologiæ propter commoditatem dicentis requirerent cathedram. Hic locus non eſt fuſe dicendi, ſed breuiter rationes proponendi: diſputationem facile abeſſe patiemur. Non vocetur diſceptatio, dum̃odo illud maneat, Rationibus agendum eſſe, quæ euincant quid verum, quid falſum ſit. Illud præterire non poſſum in nupera Seſsione noſtra etiam mihi vitio verſum fuiſſe, quòd titulo honorauerim Paſtores meos, qui Eccleſiaſticis competit. Ego non ægrè fero, quòd pars Catholica non det illis titulum hunc, quibus dare dubitat per conſcientiam. Mihi tamen, vt aliquid imponatur hac in parte, loco legis, iniquum eſſe exiſtimo: inter Collocutores dicta lex eſt, ſed lex illa non eſt dicta mihi, qui iure meo, etiam corã S. R. Maieſtate vterer, dum, ſi occaſio eſſet, meæ profeſsionis Eccleſiaſticum virum, eo nomine compellarem. Proinde peto ne mihi lex dicatur, cui me non ſubieci. Si ſcrupulus hæret ne ſubſcribantur Acta cum his titulis: certe multo grauiora ſubſcribentur. Grauius eſt dicere Religionem hanc vel illam, magnum errorem fouere, & tamen ex legibus conuentis ſubſcribenda hæc erunt, non approbatiuè, ſed atteſtatiuè. Ita Iudex de maximis ſceleribus, ſcru-

tinio habito ſubſcribit, cum ſcelera non approbet, ſed teſtetur ita Actum fuiſſe. Non eſt igitur, quòd hac in parte præſeferant, ſe conſurgere quaſi abituros, ſi hoc nomen alicui detur. Satis eſt ſemel declaraſſe, Vos hunc titulum non dare. Vos videatis, quo iure Veſtris Eccleſiaſticis detis. Rogo, vt lenitas & manſuetudo, in hoc Colloquio Charitatiuo obſeruetur.

Quoad Scriptũ perlectũ, per Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Epiſcopum, iam nunc nulla declaratio dari poteſt, quia natura negotij poſtulat, vt illud conſideretur, an medium iſtud ſit amplectendũ. Declaro igitur à parte Reformatorum, nos vlterius non condeſcenſuros ad Apologias, aut Antapologias, ſed præcidere velle omnes occaſiones, præcipuè illo fine, ne tempus teratur, ne occaſio detur maiori irritationi, & eò citiùs veniamus ad portum huius negotij, ne fruſtremur eo effectu, quem intendit S.R. Maieſtas Dñs Noſter Clementiſsimus: deinde illud iteramus, vt verè Charitatiuum ſit Colloquium, ne Seſsiones publicè fiant ſine omnium noſtrum conſenſu (aliâs multa cruda afferentur, quæ maturitatem poſtulabant) & ne imponatur nobis neceſsitas ſequendi, vt iam non ſponte venire videamur ſed coacti. De Protocollis inferimus denuò, obſignari debere, & ſi protocolla non expediantur minùs fructuoſæ erunt Seſsiones. Cur enim in publicum procedamus, ſi ſpes nulla ſit vlterius procedendi? Iteramus quoq; de Confeſsionibus noſtris acceptandis, & rogamus, vt hæc ſimul combinentur: adeoq; declaretur non acceptari, aut acceptentur. An verba contineant aliqua acriora, hoc patebit ex iudicio eorum, quibus S. R. Maieſtas id muneris tribuit. Sed vt adimatur aliquid de eſſentia rei, iniquũ eſſe puto. Neq; mens eſt S. R. Maieſtatis, vt ad libitum alicuius ſcribamus propoſitiones, præſertim in Articulis quos credimus, modo abſit occaſio acerbitatis: ſed non putamus nos occaſionem acerbitatis dare, cum explicamus fidem noſtram quid credamus, quid non credamus: facimus hoc ita, vt ſi oſtendatur nobis aliud,

para-

Digitized by Google

parati ſimus reſponſionem modeſtam, & accipere & referre. De particularibus quæſtionibus eo tendit noſtra declaratio, vt inuicem nobis explicemus quid credamus, & nihil intereſt, ponaturuè id in propoſitione, an in liquidatione. Rogamus itaq; ne vlterius fiant nobis iſta præiudicia, & vt fundamentum illud, quòd explicabit vlterius negotium conſtituatur, & confirmetur, quô ſpem habere poſsimus vlterioris negotij, & boni ſucceſſus; ſi contrarium fiet, deſperandum eſſe de effectu videbitur; Nec ſatisfacient nobis rationes R. P. Schönhof, etiamſi dono facundiæ ditiſsimi, qui putat nos debere generaliſsimas formare propoſitiones. Et ita poſtulamus, ne intentio noſtra, ſiniſtram patiatur interpretationē. Toto animo & corde anhelamus proceſſum negotij; neq; refugimus, vt quàm citiſsimè perueniamus ad liquidationem doctrinæ, vt tandem videatur ſucceſſus tam grauis negotij.

Excepit R. P. Schönhof. Expediret tandem, vt omni ſiue apologiæ, ſiue antapologiæ finis imponatur, neq; aliud Pars noſtra Catholica à multis hebdomadibus expetit, & deſiderat. teſtis eſt ipſa Illuſtriſſ: D. V. quanto tædio acceſſerimus ad prolixiores præliminares tractatus, & quanto affectu expetiuerimus, vt abſolutis vnâ die conditionibus, iuxta Inſtructionem S. R. M. Dñi Noſtri Clementiſſ: deſcenderemus ipſâ 3 die ad negocium principale. Ex quo concludet Illuſtriſſ: D. V. nihil ex parte noſtra deſiderari. An allocutio noſtra ad rem non fecerit? an etiam grauis neceſsitas nobis impoſita non fuerit mentem noſtram explicandi, magno & ſublimi iudicio Illuſtriſsimæ D. V. ſubijcio. An meâ, quanquam non meâ, ſed totius Partis Catholicæ, qualicunq; oratione rem & pūctum acu tetigerim, ſiue circa ſcopum, ſiue circa media, aduoco quotquot adſunt teſtes, omnes ſpectatores, & Auditores. Adegit me ſermo nuper habitus à Clariſsimo D. Collocutore, vt reaſſumerem titulum Dominæ, quē Eccleſiæ attribui, & ipſis verbis meis apertè ſignificare volui, non aliud nos intendere

dere, quàm more Polonico honoris cauſâ deferri. Conſtat autem inter omnes Titulum Domini aut Dominæ, ſi honoris cauſâ deferatur, non opponi correlatiuè ſeruo aut ancillæ, ſed cuicunq; alteri recognoſcenti aliquam minoritatem ſiue dignitatis, ſiue temporis, ſiue cuiuſcunq; circumſtantiæ. Atq; hæc eſt noſtra mens, cùm dicimus Religionem noſtram Catholicam eſſe Dominam, cæteras aduenas: vt verò præiudicium vel tenuiſsimum imprimis Nobilitati inferatur, abſit. Iam de tolerantia, maluiſſem nec mentionem fuiſſe factam. Scimus quàm periculoſa ſint conuenta per tolerantiam; vnde hactenus ex ore ſiue meo, ſiue alicuius noſtrum, nunquam elapſum eſt nomen tolerantiæ. Sed quia Clariſsimus D. Orator, præcipuam partem præſentis noſtræ conciliationis reuocauerat ad tolerantiam, & ad imperfectam illam pacem reduxerat, non poteram diſsimulare planè oppoſitam fuiſſe intentioni noſtræ tolerantiam. Itaq; quæ mens noſtra eſſet, declarandum erat. Quod ad offenſam illam dignitatis publicæ Illuſtriſſ: D. Legati iuſſus fui, etiam præter voluntatem meā, ſicco pede non præterire. Deniq; quod ad propoſitiones attinet, cauſæ, quas obſtitiſſe dicimus, non meæ ſed totius partis ſunt: vnde argui non debui vt inuentor & Author. Declaro, niſi his cauſis ſatisfiat, & exæquetur tota Pars, fieri non poterit, vt prælegantur, & in Protocolla inſerantur. Illuſtriſsimæ D. V. maximas refero gratias, nomine Partis meæ, pro ea candidiſsima & ſinceriſſima voluntate promouendi hoc negotium; & ſcio S. R. Maieſtatē maxima cum animi voluptate accepturam hanc alacritatem, & promptitudinem, cui nihil triſtius accidere poteſt, quàm ſi audiat moras necti, nihil gratius, quàm ſi intelligat hominem eſſe, qui rem cordi habeat.

Subiunxit Illuſtriſsimus D. Caſtellan. Chelmenſis. Non ſolùm meam ſed totius partis mentem aperui.

Hic R. P. F. Hieronymus à S. Hyacyntho interpoſuit ſequentem prote-

proteſtationem. Expoſtulauit Dns Collocutor Partis Auguſtanæ de clauſula mei ſermonis: ſed quia non eſt huius loci, negotia Ducis aut Ducatus Saxoniæ tractare; in quocunq; alio loco & foro paratus ero reſpondere, & dictorum meorum veritatem comprobare, atq; ita quantum opus eſt, contra proteſtationem D. Collocutoris proteſtor, & reproteſtor.

Poſt hæc Mag. D. Guldenſternius Capitaneus Stumenſis, Petijt parti Auguſtanæ dari tempus ad ſcriptum prolixè lectum reſpondendi breuiſſimè & ſine aculeis. Idem poſtulauit Mag. D. Boianowski.

Illuſtriß. verò D. Caſtell. Gneſnenſis. Putabam (inquiebat) Illuſtres DD. Veſtras hoc medio cõtentas fore quod Illuſtriß. D. Caſtellan. Chelmenſis propoſuit, id eſt abrumpendi tam prolixas reſponſiones. Cum verò DD. Veſtræ reſpondere propoſuerint rogatas volo, vt ab eo ſuperſedeant, aliâs dabitur rurſum reſpondendi occaſio & ſic procedetur in infinitum: potiùs progrediantur ad trutinandas & penſandas propoſitiones ſuas, quas iam nobis obtulerunt.

Reſpondit Mag. D. Guldenſternius Capit. Stumen. ſi permiſſũ fuit reſpondere ex tempore Illuſtriß. D. Caſtell. Chelmen. liceat etiam nobis ſcripto id facere, Nihil moræ faciemus.

Denique Illuſtriß. D. Caſtell. Gneſnen. ſoluit Seſsionem & indixit priuatam ad diem ſequentem horâ ſolitâ, ad examinandas propoſitiones DD. Auguſtanorum per Dominos Deputatos.

SESSIO XXIII.
Die quartâ Octobris.

Cum in præſentia Illuſtriſſimorum DD. Deputatorum omnium partium conueniſſent in conclaue Illuſtriſſimi D. Legati, Deputati Theologi, ad reuiſionem poſitionum DD. Auguſtanorum, iuxta conuentionem

proximâ Seſſione publicâ factam: ex parte quidem DD. Catholicorum, Illuſtris & Adm. R. D. Ioannes Zawiſſa Archidiaconus Vilnenſis, & R. P. Martinus Olſſewski Soc. Ieſu. Ex Parte autem DD. Auguſtanorum, D. Hülſemanus, & D. Bottſaccus; cœpta eſt relectio illarum poſitionum; vbi ſtatim ſub initium DD. Catholici requiſiuerunt à DD. Auguſtanis; Primò, vt præfationem integram omitterent; deinde ex titulo voces, In theſi & Antitheſi. *Item vocem* liquidationis: *Quod poſtulatum DD. Catholicorum, cùm D. Hülſemanus ſumeret ad referendum ſuæ parti, Seſſio ſoluta & in diem ſequentem indicta.*

SESSIO XXIV.
Die quintâ Octobris.

Præſentibus iiſdem qui proximâ Seſſione interfuerunt continuata fuit cenſura poſitionum DD. Auguſtanorum. Cumq́ ea dies eſſet aſſignata publicæ prælectioni earundem, eâ tamen conditione, ſi inter partes de illa conuentum foret; Partes autem conuenire non potuiſſent, propterea quod DD. Auguſtani dicerent nihil ineſſe offenſiuum: Catholici autem opponerent, Propoſitiones DD. Auguſtanorum recedere à præſcripto S. R. Maieſt: aliqua præterea in ipſis eſſe offenſiua, pluresq́ alias cauſas iam ante allatas propter quas admitti non poſſint (quod negabant DD. Auguſtani) elapſo tempore Seſſionibus habendis definito præſens Seſſio ſoluta eſt, & limitata vſque ad decimam Octobris.

SESSIO XXV.
Die decimâ Octobris.

Lecta eſt Declaratio voluntatis S. R. Maieſtatis, circa Inſtructionem eiuſdem, cuius Declarationis tenor eſt.

DE-

Digitized by Google

DECLARATIO
Voluntatis Sacræ Regiæ Maieſtatis;

Circa Inſtructionem miſſa, ad Colloquium Thorunienſe deſignatum pro pacificandis diſſenſionibus in Religione, ad faciliorem in hoc negocio progreſſum, data Illuſtriſſimo Dño IOANNI à Leſſno LESZCZYNSKI Caſtellano Gneſneñ. tunc S. R. Maieſtatis Legato, vt in notitiam deducatur, Illuſtriſſ. & Magnificorum DD. tam Catholicorum, quàm Auguſtanæ ac Reformatæ Religionis Deputatorum.

VLADISLAVS IV. DEI GRATIA REX POLONIÆ
Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czerniechouiæq́; Necnon Suecorum, Gotorum, Vandalorumq́; Hæreditarius
REX.

REVERENDE, MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILES, SPECTABILES, ERVDITI, Sincerè, & Fideliter Nobis dilecti.

NON ſine graui cordis noſtri dolore, intelleximus negocium pacificationis, & concordiæ, inter eos, qui ſententijs circa Religionem in Ditionibus Noſtris diſsident, non

tantùm magno conſilio, ſed & Paterno erga ſubditos noſtros affectu, à nobis ſuſceptum, & iam in publicũ Theatrum productum, ita lentè & cum tergiuerſatione procedere, vt non ſolùm nulla adhuc ad penetralia, tam ſancti laboris patefacta ſit via, ſed ipsũ quoq; limen variæ remoræ impedimẽtaq; obſederint, quæ plurium hebdomadarũ cura ſuperare non potuit.

Nos verò eius ſumus opinionis, ad celerem optatumq;, iſtius operis progreſſum, nil fuiſſe faciliùs cõmodiuſq; quàm pręſcripto noſtræ primæ Inſtructionis in omnibus inſtitiſſe, nullis admiſſis nouis Regulis, quæ ab intentione noſtrâ ac fine præſtituto, multùm deuiarunt. Quamuis enim non fuerit mens noſtra, cuipiam de poteſtate noſtrâ, quam ad eiuſmodi cauſas non extendimus, ius ſtatuere, non dubitauimus tamen, normam modumq; à nobis bène expenſum & accuratâ conſideratione educatũ, cum Sync: & Fid: veſtrarum iudicijs conuenturum, vtpotè rectâ tendentem ad eum ſcopum, ad quem in præſenti tractatu vnanimi conſenſu collineamus. Optãdo igitur non ſine certa ſpe exactam Inſtructionis noſtræ, tanquam Regulæ & amuſſis obſeruantiam, aliquot puncta ad Sync: & Fid: veſtras mittimus, in quibus expreſſior ſit primæ noſtræ deſignationis Declaratio, quæ etiã ad nouas, ſi quæ fortè emergerent, perplexitates decidendas multùm conferat.

1. Inprimis non permittant Sync:. & Fid: veſtræ nouam, vllam quæſtionem circa præliminaria excitari, eam potiſſimùm, quæ noſtræ Inſtructioni aduerſetur; ſed ambagibus omnibus amotis, Collocutores adducant ad rei ipſius aggreſſionem, additâ de nouo adhortatione, ad affectus eo mentis deſideriorumq; candore dirigendos, vt collapſa Pax & Concordia Chriſtiana vera ac Deo accepta, illiq; diſſimilis, quam fortaſſe aliqui priuato commodo, & reſpectu ducti, apud ſe pingunt, aſſurgat, & ſtabiliatur.

2. Deinde quemadmodum in toto negotij huius progreſſu hoc ſpectauim' vnicè optauimusq;, vt quã longiſſimè abeſſent cauſæ omnes atq; occaſiones, quæ vel minimùm partes offenderent; ita cùm ventũ eſt ad mutuam ſcriptorum porrectionem, cautela omnis fuit adhibenda, vt prudenti ſuauitate plena eſſent, demulcerentq; potiùs quàm exacuerẽt animos. Quâ in re iam aberratum eſſe, planè perſpicimus. Ne ergo deinceps idem contingat, hanc præmonitionẽ notam omnibus eſſe volumus. Videlicet nos modeſtiam & mutuum partium honorem, eâdem æſtimatione, quâ ipſum negotium, omniaq; ex eo venientia commoda, accipere.

3. Liquidationem doctrinæ & dogmatum, magni ſemper in hac cauſa fecimus, & idcirco etiam quo

Digitized by Google

certiùs, perfectiùſq; obtineri poſſet, eam magno prouidoq; ſtudio in certos gradus diſtinximus. Voluimus enim capita doctrinæ paucis ac breuibus propoſitionibus concipi, poſtea illuſtrari fuſiùs, deinde ab alienis imputationibus emundari, tum demùm veras ac manifeſtas contradictiones, diſſidiaq; doctrinæ inde deduci, atq; agnoſci: & hic ſenſus noſter ſēſim gradatimque ad finem vſq; procedendi non fuit obſcurus: cui quia non ab omnibus eſt ſatisfactum, non minima prolixæ dilationis occaſio, facileque pretioſi temporis damnum emerſit. Quod ne iterum eueniat hunc modum ſubijcimus. Scripta Auguſtanorum & Reformatorum prout hactenus porrecta ſunt, admittantur, expunctis tamen ijs, quæ Catholicam partem meritò offendunt, nec pertinent ad doctrinam, vt ſunt Præfationes Epilogi &c. &c. Et quia ita ſunt ſufficienter confecta, vt non tantùm propoſitiones, ſed etiã declarationes vocari poſſint, idcirco in vtraque liquidationis parte habeãtur, pro propoſitionibus, & declarationibus; neq; alia declarandi obligatio imponatur, niſi forte eam Pars aliqua requireret. Catholici verò Collocutores ſuis propoſitionibus adiungant declarationes, & tum demum ijs confectis ſingulæ partes eodẽ ordine alienas imputationes à ſe amoueant. Ad extremum ex liquida-

tis

Digitized by Google

tis emundatiſq; ſententijs veras contradictiones deducant, & quam generaliſsimè ad ſua capita reuocēt.

4. Quis modus inquirendi dignoſcendiq; veri ac falſi (cùm ad id ventum fuerit) tenendus ſit, ſatis ſuperq; in Inſtructione noſtra expoſuimus, ita vt mirari cogamur eos, qui in illo conuentu modum à nobis præſcriptum, eſſe ſibi ſeruandum propoſuerunt, reprehenſionem non euaſiſſe.

5. Vehemēter nobis diſplicet, homines varios magno numero ad locum colloquij paſſim admitti, vbi etiam pauciores ac prudentiores, vnde ædificarentur, hucuſq, nihil habuerunt: Ea de cauſa deinceps mandamus & ſic volumus obſeruari, vt congreſſus ex Aula maiore in minorem quampiam cōmodiorē inferatur; hoc numero. Interſit noſter Legatus cum ſex Deputatis, duo collocutores cuiuſq; Partis cū vno Partis ſuæ ſubſidiario. Notarij & ſeptem Auditores. Nempê ſeptē ex parte Catholica, ſeptē ex Auguſtana, totidem ex Reformata. Et quia inter partes conuenit quatuor integras horas in colloquio inſumere, optamus eas ita diſtribui, vt ſi contingat in quopiam capite doctrinæ, vnanimem eſſe Auguſtanæ ac Reformatæ Partis ſenſum, Pars vna duabus horis cum Catholicis conferat; Altera, ſiquidē noui aliquid circa idem doctrinæ caput habuerit, tranſigendū; ſta-

tim.

tim id reliquis duabus horis perficiat, neq; vnquam idem eiuſdem argumenti punctum ad ſequentem Seſſionem reijciatur: ſin autem nihil eiuſmodi ſibi occurrere Pars, quæ ſuccedit, affirmet, ad alia puncta cum principali Parte fiat progreſſus; ea lege ne vlla Pars res ſemel concluſas iterũ ad tractandũ reſumat.

6. Nec minùs offendit cùm audimus nouorũ nominum impoſitionem contra cõmunẽ iuris, adeoque ipſarum confœderationum morem, vſumq; titulorũ, quibus hactenus in ditionibus noſtris, Religiones diſcernebantur, in hoc conuentu per importunum ambitum excitari. Propterea volumus vt toto huius colloquij tempore quemadmodum hactenus fieri ſolebat, Catholici vocentur ac ſcribantur, ij, qui ſe Catholicos appellant, alij Auguſtani, tertij Reformatæ Confeſſionis Socij, ſeu Profeſſores.

7. Deniq; Sync: & Fid: Veſtras, ex intimo animi ſenſu monemus, deſideramuſq; vt alijs viuo attẽtoq; exemplo ſitis ad negotium hoc, liberâ ab omnibus reſpectibus humanis conſciẽtia; ſedulâ, ſobriâq; circumſpectione, indefeſsâ patientiâ, æſtimandum, conſiderandum, tractandum. Dei eſt vtiq; cauſa non hominum, ex quo proinde non vanus humanæ gloriolæ fumus, ſed odoriferum Nominis Diuini ſacrificium, in totum orbem erumpat, neceſſe eſt. Et

quia

quia cardo votorum curæque noſtræ in eo vertitur, vt ſtabilis Pax in vnitate fidei ad Noſtrarum Terrarũ ſubditos redeat, impenſam diligentiam ſollicitudinemq; Sync: & Fid: Veſtrarum requirendam eſſe duximus, vt in hoc congreſſu, cui præfixus titulus Pacis, omnia diſſenſionum offenſarumq; fomenta mutuâ charitate, debito reſpectu, maturâ patientiâ, extinguantur. Interim Sync: & Fid: Veſtris proſperam à Deo ſanitatem precamur. Datum Starozrzebis, 7. Octobr. Anno Salutis M. DC. XLV. Regnorum Noſtrorum Poloniæ XIII. Sueciæ verò XIV.

VLADISLAVS REX.

Quâ finitâ cùm tempus deliberandi DD. Auguſtani & Reformati petijſſent, ſoluta eſt Seſſio.

Die vndecimâ Octobris.

Expectantibus DD. Catholicis reſponſum ſuper declaratione S. R. Maieſtatis heri prælecta, nullum à DD. Auguſtanis, & DD Reformatis allatum eſt, ſed amplius deliberationis tempus poſtulatum. Interim reſponſa quædam S. R. M. per R. P. Schönhof oretenus partibus omnibus data ſunt, quorum tenor talis eſt.

Reſponſa quædam à S.R.M. oretenus data.

1. AGnoſcit Sereniſſ: Rex Dñus Noſter Clementiſſ: non fuiſſe mentem ſuam Regiam, ſatis perſpectam, quibuſdam Partium Collocutoribus, qui hoc vnum hactenùs intendiſſe, & egiſſe viſi ſunt Suæ Maieſtati, vt doctrinas committant & collidant, &

Digitized by Google

inde aliquid in rem ſuæ Partis domum referant. Hoc verò alieniſsimum eſt ab intentione & ſcopo S. R. M. Quæ non hoc vult, vt doctrinæ hîc collidantur, ſed tantùm vt merè collationentur, ad videndum vbi conſentiant, vbi verè (ſepoſitis calumnijs, criminationibus, falſis imputationibus) diſſentiant? An & quo pacto ex tali collatione elici poſsit perfecta Pax, id eſt, vnitas Religionis, vel ſaltem an hac viâ ſiniſtræ intelligentiæ & diffidentiæ ſopiri, ſenſimq́; animi ad perfectam Pacem diſponi ac præparari poſsint? ſi aliud, inquit, agunt Collocutores, nihil agunt, ſatiſq́; nobis cauſæ fuerit ad ſoluendum totum negotium.

2. Pleraq́; quæ hactenus acta ſunt mirè diſplicuerunt S. R. M. multis nominibus, ſed eo inprimis, quòd toto cœlo aberrent à propoſito ſcopo, & à toto præſenti negotio, eiuſq́; forma (prout à S. R. M. concepta, & præſcripto Inſtructionis expreſſa eſt) penitùs ſint aliena, nihilq́; aliud ſapiant, quàm veteres diffidentias, & inanes curas, Charitatiuo agendi modo parùm conformes.

3. Quid ſibi velint illa verba declarationis Regiæ § 2. *Eadem æſtimatione, quâ ipſum negotium?* Reſpondet S. R. M. ſenſum eſſe non minoris ſe facere pacificum & Fraternum agendi modum, iuxta formam præſcriptam, quàm totum negotium. Vnde ſi accideret contra charitatem in Colloquijs peccari, & interuenire offenſas ex dictis, & ſcriptis infeſtis (vti iam factum eſt) alteram fore cauſam ſoluendo toti negotio.

4. Cùm in numero eorum, qui ad Colloquium admittendi ſunt, non exprimantur DD. Moderatores ſingularum Partium, an cenſeantur excluſi? Reſpondet S. R. M. minimè, ſed ſuum obtinere locum, etiam quando Collocutorum munere non funguntur.

5. Vtrùm Collocutores Noſtri implere poſsint ſeptenarium numerum Auditorum? Reſpondet. Ita omninò, ſi Moderatori placuerit illos deputare, cùm præſertim alij deſunt.

6. Vtrū

6. Vtrùm Prælati interColloeutores recenſiti ſubſtitui poſsint, in locum abſentis D. Deputati? Rñdet, omninò poſſunt & debent.

7. Continuiſné duabus horis cum vna quapiam parte agendũ eſt, an potiùs diſcontinuis? Reſpondet, potiùs diſcontinuis.

8. Cùm in priori S. R. M. Inſtructione relinquatur facultas corrigendi aliquid aliâ Seſsione, ſi quid non ſatis cautè dictum ſit, quomodo iam nihil reaſſumendum? Reſpondet, intelligitur nihil reaſſumendum ad declarationem punctorum iam declaratorum, per hoc tamen non vetatur, correctura vnius vel alterius verbi, malè pronuntiati.

Vigeſimâ quartâ Octobris.

Superioribus intermedijs diebus nihil actum fuit, eo quòd omnes partes Internuncios ſuos ad S. R. Maieſtatem expediuiſſent, ex parte quidem Catholica Illuſtres & Admod. Rndos Dnos Archidiaconos Ioannem Zawiſſa Wilnen. & Paulum Petrikowski Pultouien. Ex parte verò Auguſtanorum Illuſtr. D. Sigiſmundum Guldenſternium Capitaneum Stumen. Deniq; ex parte Reformatorum Generoſ. D. Adamum Rey. Qui poſtquam redierunt, hac die Illuſtriſſ. D. Legatus à DD. Auguſtanis & DD. Reformatis reſponſum ad declarationem S. R. M. requiſiuit, rogauitq; vt & voluntati S. R. M. & Catholicorum deſiderio ſatisfacerent, reſciſſiſq; omnibus moris (præſertim quod exiguum reſtaret tempus) ad rem accederent. DD. autem Auguſtanis, & DD. Reformatis in diem craſtinã reſponſũ differentibus, diſceſſum eſt.

SESSIO XXVI.
Vigeſimâ quintâ Octobris.

Digitized by Google

Poſtquam Illuſtriſ. D. Legatus cum Illuſtriſ. Illuſtribus & Magnificis DD. Deputatis omnium Partium in conſueto conclaui conſedit, Rogare cœpit Partem Auguſtanam & Reformatam, vt tandem negotium Colloquij ad mentem S. R M. tractarent, ſublatis ex ſuo ſcripto omnibus, quæ aliquam iniuriam offenſamq; continent, & ijs etiam quæ doctrinæ Catholicæ expoſitionem concernunt. Niſi id fiat neceſſe eſt actiones, parteſq; actionum à S. R. M. præſcriptas confundi, fieriq; iniuriam Catholicis, qui ſua dogmata ab alijs ſcribi, ſiniſtreq; explicari nolunt, multò magis quidquam ſibi adſcribi, quod ſuum eſſe non agnoſcunt. Huic deſiderio ſatisfacere, nil derogat partibus, aut earum confeſſioni; non ſatisfacere multum derogat Catholicis. Affert enim ſecum noſtram infamiam, quæ ſequitur ex praua noſtrorum dogmatum expoſitione, opponiturq; fini Colloquij Charitatiui, qui eſt emundatio depuratioq; doctrinæ. Id cùm fecerint partes non cenſebuntur ſua deleuiſſe ex ſuo ſcripto, ſed non intromiſiſſe ſe in aliena.

Reſpondit Illuſtriſ. D. Caſtellanus Chelmen. Deum teſtem innocamus, quidquid propoſuimus, non eſt factum animo iniuriandi, ſed vt aliqua differentia Religionum oſtenderetur. Et hoc eſt ex mente S. R. M. quæ iubet proponi ea, quæ credimus, & non credimus. Quæ ſic à nobis remouimus, non fecimus, vt imputemus parti Catholicæ, ſed ſimpliciter ea negauimus, & vnicum verbum veſtrum, poſſet remederi, ſi diceretis, ea, vos non credere, ſic ſatisfieret intentioni S. R. Maieſtatis, & hoc eſſet depurare. Cogimur certè omnes ſcrupulos noſtros exponere etiam paruos, ſi diceremus Eccleſia Romana impiè, & non rectè ſentit, offenderemus, ſed quia generaliter ponimus, non poteſt eſſe iniuria. Nunquam finiemus quamdiu vnus in alterius Confeſſione improbauerit, quæ ipſi non placent. Et quoniam vultis vt deleamus antitheſes, petimus oſtendi nobis numerum, & deſignationem ſpecialem antitheſium illarum, ſcripto. De Proœmio clauſulaq; omittenda minor eſt difficultas, modo Confeſſio maneat in integro.

Tum

Tum Illuſtriß. D. Legatus intulit, Exiſtimo Propoſitiones Veſtras eſſe iniurioſas, quòd eadem in ſe contineant, quæ nobis Scriptores Veſtri iniurioſè imputant. Non ſumus ij, quales nos eſſe dicitis. Obtruduntur nobis ea quæ nolumus. Iniuriâ efficimur ante tempus. Dicimur enim v. g. Omnem ſpem in Sanctis, quos inuocamus ponere, & B. Virginem inuocare tanquam Redemptricem. Idolatriam præterea nobis obijcitis, quòd eſt iniurioſum. Optimus modus eſſet, ſi Theologi partium inter ſe, de hac re conferrent.

Illuſtriß. autem Caſtellanus Chelmeń. dixit. Meliùs foret ſi ſcripto comprehendantur, quæ vobis diſplicent, idq́ue vnâ horâ abſolui poſſet.

Subiunxit Perilluſtris D. Záwiſſá Archidiaconus Vilnenſis. Aliam fuiſſe mentem Sereniſſimi Regis, qui noluit Actiones confundi, ſed ſuo in loco ſingula tractari. Iuſſit capita doctrinæ controuerſæ conſcribi, non imputationes earum rerum, quas noſtras eſſe negamus. Sed quia erratum eſt, iure meritò Theologi ſunt deſignandi, vt inter ſe conferant, remoueantq́ue quidquid parti noſtræ facit præiudicium, & menti S. R. M. repugnat. Idem vobis licebit circa noſtram Confeſſionem.

Poſtea Mag. D. Boiánowski dixit. Cauſa conſcientiæ in Confeſſione requirit, vt dicat quiſq́ue quid credat, quid non credat, pateatq́ue hac ratione differentia ſententiarum. Diſtinguunt Theologi Auguſtani negatiuas Propoſitiones ab Antitheſibus, paratiq́ue ſunt probare quæ imputarunt. A moralibus autem offenſiuis, ſi quæ ſunt, quoniam ita iubet S. R. M. recedent, modo in ſcripto, offenſiua tam moralia, quàm dogmatica offerantur, quòd ipſum petunt à DD. Catholicis.

Is verò modus ſcripto agendi conſulta parte Catholica non placuit Illuſtriß. D. Legato, quòd infinitam ſuggereret, ſcriptis inuicem certandi, altercandiq́ue materiam, vt iam non ſemel obſeruatum. Minus præterea id eſſe neceſſarium, eo quòd optimè omninò meminiſſent partes, quæ Catholici abeſſe à ſcriptis volebant. Superfluum hoc planè eſſe deſiderium, & ad moras nectendas conferre, quas etiam ſine talibus

 ſcri-

ſcriptis, & reſcriptis necti ab Auguſtanis & Reformatis; Subiunxit Perilluſtris D. Archid. Viln: eo quòd cum omnibus ad ſuos recurratur.

Cùm tamen Illuſtriſsimus Dominus Caſtellanus Chelmenſis, non omnia teneri memoriâ dixiſset, & longè plus temporis abſumpturam illam, quæ verbis fit collationem; ſuggeſsit modum Illuſtriſſimus D. Legatus, nempè, vt aliquem Partis Auguſtanæ & Reformatæ Deputatum ſeorſim duo ex Catholicis Theologis adirent, & præſentibus totidem Collocutoribus Partium oſtenderent quæ iniuriam offenſamq́; continerent, aut ad alias Actiones ſpectarent. Probauit ex parte ſua Illuſtriſs. D. Caſtellanus Chelmen. ſed tamen nihil ſtatuere poſse, niſi parte ſua conſulta. Magnificus etiam D. Boiánowski, ſuis ſe relaturum dixit. Quo audito Illuſtriſs. D. Legatus Seſsionem ſoluit.

SESSIO XXVII.
Vigeſimâ octauâ Octobris.

Præſentibus omnium partium Deputatis & Notarijs, Illuſtriſs. D. Legatus ſic exorſus eſt. Ad inſtantiam à DD. Reformatis nuper factam propoſui DD. Catholicis Theologis, eorum poſtulata quibus deſiderabatur, vt DD. Catholici modum & media ſuggererent, quibus liquidè pateret, quid ipſis in ſcripto Reformatorum placeret quid diſpliceret: Primùm igitur diſplicet DD. Catholicis, quod DD. Reformati ſcripto ſuo tantopere inhæreant, vt nihil eorum, quæ DD. Catholicos, & Catholicã Eccleſiã iure afficiunt, offendunt, & grauant, tollere velint. Deinde & illud grauatè ferunt, ac dolent, quòd à publica illa ſcripti prælectione tam longum tempus ſine vllo fructu conſumptum ſit. Cùm enim data à me Inſtructionis S. R. Maieſtatis declaratione, contenti non eſsent, coactus ſum ad S. R. Maieſtatẽ recurrere. & ſuper data declaratione, ac vero ſenſu Inſtructionis Suæ Maieſtatis conſulere. Notũ omnibus eſt, reſponſum. Probauit enim S. R. Maieſtas interpretationem,

nem,

nem, & declarationem meam, quam etiam miſſo Inſtructionis ſupplemento confirmauit. At DD. Reformati hic iterum de mente S. R.M. deliberare cœperunt, & poſtquam integri quinque dies inani deliberatione conſumpti ſunt, ad S. R. Maieſtatem Legatis miſſis prouocarunt, ne ſcilicet illo Inſtructionis ſupplemento ſtringerētur. Redierunt miſſi à S. R. M. Legati, & ecce iterum deliberando triduum eſt conſūptum. Omnes profectò dolemus tam diuturnum tempus inaniter effluxiſſe cùm circa ſolam mentis Regiæ interpretationem, quinque hebdomadæ ſi[ne] fructu conſumptæ ſint. Etſi verò Sereniſſimus REX conſcientias ſtringere noluerit, tamen pro debita erga S.R Maieſtatem obſeruantiâ conſentiendum parendumq; fuit, præſertim cum nihil eſſet quod vlli præiudicaret; quia tamen nonnulli etiam hic orti ſunt ſcrupuli, ex eo quòd declaratio illa DD. Reformatorū Actis non inferatur. DD. Theologi Catholici rationes propter quas permittere id non poſſint, iam proponunt.

Hîc Illuſtris D. Guldenſternius. Voluntas *(inquit)* eſt S. R. M. ne ſcripta in publicum proferantur, niſi ante prælecta, & à DD. Deputatis examinata fuerint.

Reſpondit Illuſtriſſ: D. Legatus. Nullum hîc ſcriptum, ſed tantùm memoriale eſt, ſolius memoriæ iuuandæ causâ, conceptum & gloſſematis adhuc plenum. Quod ſi Notarij illud excepturi ſunt, cauſa eſt, quòd DD. Reformati Notarios ad Collationem hiſtoricam nuper requiſiuerint, hîc autē nihil aliud niſi hiſtorica collatio erit.

Poſtquam igitur propoſitæ ſunt rationes, Illuſtriſſ: D. Caſtellanus Chelmen: reſpondit. Scopus DD. Catholicorum nunc expreſſus eſt, ille, ne declaratio Confeſsionis noſtræ inſeratur Protocollo. Nos è diuerſo putamus, declarationem illam ad mentem S. R.M. eſſe factam, neq; poſſe, aut oportere illam mutari, vel ea de cauſa, quod iam ad principales, præſertim ad eos ad quos ſpectat, miſſa ſit,

quod

quod nobis partim per Clementiſſ: S. R. M. ad ſupplicem libellum Orlenſem reſponſum, partim per pacta conuenta præliminaria licebat. Habuimus cenſuram, manu illius, qui cætera ſcripſit, datam, iuxta quam mutauimus aliqua, vnde iterum declaramus, quod nullo modo poſsit mutari. Neceſſe eſt autem illam Actis inſeri, quia publicè prælecta eſt, & à Iuratis Notarijs audita. Cùm enim DD. Notarij ex formula Iuramenti obligentur ad connotanda, non tantùm ea, quæ vni parti placent, ſed etiam ad ea, quæ audierunt, ex conſcientia obligantur, ad Confeſsionem illam, quam audierunt, inſcribendam. Quod ſi DD. Catholici cum ſuis diſpenſant, nos cum noſtris diſpenſare non poſſumus. Quod attinet ad rationes à DD. Catholicis nunc propoſitas, ſi illæ Actis inſerantur, iniuria DD. Reformatis fiet, niſi etiam ipſi ad eas reſponderint; reſponderi autem non poteſt, niſi poſt aliquot dies, & ita naſcetur chartaceum bellum.

Ad hæc Illuſtriß: D. Legatus reſpondit. Confeſsionem DD. Reformatorum ad mentem S. R.M. non poſſe dici factam, eò quòd ſit contra meam (inquit) interpretationem & declarationem, mea autem interpretatio à Sereniſsimo Rege ſæpiùs probata eſt, primùm quidem per literas ad me datas, iterùm verò per reduces à S. R. M. Internuncios; quòd verò dicunt Confeſsionem illam mutari non poſſe, eò quod iam alio miſſa ſit, id ſanè fieri non debuit, vt aliò mitteretur. Ius publicationis Actorum, S. R. M. ſibi reſeruauit, nullo igitur modo probare poterit, cùm audierit ſe inſcio & inconſulto ad alios promanaſſe. Deinde, quomodo non poſſunt mutare Confeſsionem ſuam, cùm in publico Conſeſſu, voce publicâ promiſerint ſe eam emendaturos? Emendatio enim & correctio quæ præmiſſa eſt, ſine mutatione fieri non poteſt. Cæterum, vt Confeſsio illa Actis inſeratur, id fieri nō poteſt. Primò quidem. quia contra illam proteſtatio, & quidem à Legato Regio, publicè interceſsit. Neque Notarij proteſtationi à Le-

gato

gato factæ, contrauenire, & Actis inſerere poſſunt, cùm dependeant à Magiſtratu, tanquam eidem legitimè ſubordinati, quo etiam facit, quod ijdem Notarij corrigere & emendare Acta poſſint, quomodo igitur nihil aliud, niſi id quod audiunt, Actis inſerere debent? 2. Ego ipſe pro officij mei ratione illam Confeſſionem admittere non poſſum; ſi enim ego ipſe contra proteſtarer, ſine pudore, & ignominia mea, id quod proteſtatione interpoſitâ damnaſſem, admittere non poſſem. Et nunc profiteor, me cõfeſsionem illam, cùm mihi obſignandum erit protocollum, non obſignaturum. Deniq; quod DD. Reformati rationes à DD. Catholicis modò propoſitas, hac conditione actis inſeri permittunt, vt ad eas quoq; reſpondeant, ibitur fateor in infinitum; certũ enim eſt, ſi ad eas reſponſum fuerit, Catholicos etiam deinceps, ad reſponſum illud, aliquid repoſituros.

Interim Magnificus D. Rey ab Illuſtriß. D. Capitaneo Stumen. tanquam ſocius obitæ Legationis euocatus dixit:

Partes ſuas ex declaratione Illuſtriſsimus Dñs Cancellarij non obligari ad S. R. M. inſtructionem, tanquam ad Legem, niſi in quantum ipſi velint ei ſtare, & in quantum illa reſponſo ad Orlenſem Conuentum dato, conformis eſt. Idq; ſaluis præliminaribus, & fidei veritate, quàm vt defenderemus, *inquit*, huc venimus.

Ad hæc Illuſtriß. D. Legatus. Colloquium hoc à S. R. Maieſtate inſtitutum eſt, vt ex mutua, & amica doctrinarum, & Confeſſionum collatione, Pax & vnio inter Eccleſias Regni coâleſceret, vos. vt audio, ad ſententias veſtras defendendas huc veniſtis. Equidem longè aliud eſt, venire ad vnionem, quod huius loci, & temporis proprium eſt; aliud ad defendendas ſententias, quod vos vti iam video, agitis.

Poſthæc Magn. D. Boianowski, à Parte DD. Auguſtanorum Deputatus, petijt, vt tandem ſuorum Confeßio publicè prælegatur & actis inſeratur.

Reſpondit Illuſtriß: D. Legatus. Cùm inter Partes conuentum ſit, quod vel ex Actis patet, Confeſsionem Auguſtanam Actis inſeri non poſſe, niſi eiuſdem cenſura præmittatur, vos autem cenſuræ inchoatæ eandem Confeſsionem ſubtraxeritis, non poteſt iam ad Acta referri. Non ſubtraximus, *inquit Magnificus D. Boiánowski*, ſed cùm vel de vnico illo verbo *Etiam* per duos dies certatum ſit, ne in infinitum iretur, progredi nec potuimus.

Illuſtriß: D. Legatus. Non hæc, *inquit,* cauſa ſoluti, aut interrupti negotij fuit: ſed quia vos cenſuram, quæ afferebatur malam & ſiniſtram interpretationem dixiſtis, & quia Dñs Hülſemannus meâ tanquam Regij Legati interpretatione non fuit contentus, ipſe tandem Rex Sereniſsimus conſulendus fuit.

Mag. D. Boianowski. Venit quidem à S.R.M. ſupplementum Inſtructionis ſed quod nos multùm aggrauat eò quod priores literas tollat, & durioribus verbis, contra libertatem Religionis nō careat.

Illuſtriß: D. Legatus: Cùm amica & ad rem facientia media, quæ ſingillatim recenſeri neceſſe non eſt, acceptare nolueritis, opus fuit nouâ inſtructione, vel potiùs declaratione S. R. M. quam ego non examinare, ſed manutenere volo, hoc enim officij mei eſt; præſertim, quia non tantùm Sereniſſ: Rex ita ordinauit, ſed etiam Illuſtriſ: D. Archiepiſcopus Regni Primas, apprimè laudauit. Expoſcit autem debitâ erga vtrumq; obſeruātia, ne ſecus fiat, vos quæſo, declarate ſenſum veſtrum, vultis Inſtructioni illi ſtare, nec nè?

Magnificus D. Boianowski. Et ſtetimus, & volumus ſtare Inſtructioni S. R. M. *Illuſtriß. D. Legatus.* Liberum eſt vobis dicere vti dicitis Inſtructionem S. R. M. vobis præiudicioſam eſſe, at dicere, vos illi ſtare, & parere, cum ex mea, & S. R. M. declaratione aliud liquidò conſtet, id verò quis concedat?

Hic Illuſtr. D. Guldenſternius. Ipſe, *inquit*, Rex Sereniſſ. palàm recognouit, nos ſaltē, quoad quatuor illos gradus primæ actionis Inſtructioni eius Maieſtatis non ſtetiſſe, & ſanè vi conſcientiæ non potui-

tui-

Digitized by Google

tuimus ſtare. *Mag. D. Boianowski.* Saltem nobis oſtendatur, quid in illa Confeſsione noſtra offenſiuum ſit.

Dum hæc aguntur ad conſeſſum Illuſtriß. & Perilluſtrium Dominorum, D. Legati & Deputatorum & Vicedeputatorum, tum & Notariorum omnium partium, obtulit R. P. Hieronymus à S. Hyacintho ſcripto ſatisfactionem a D. Hülſemanno Collocutore Partis Auguſtanæ in Seßione publica, die 3. Octobris requiſitam, & à ſe promiſſam. Quod quidem ſcriptum etſi acceptatum, & actis inſcribi & inſeri permiſſum fuit: attamen re meliùs poſtea perpenſa prædictis Illuſtriſſimis & Illuſtribus DD. viſum eſt, differentiam illam ad principale negotium minùs ſpectantem, neq; hic decidendam, poſſe multum temporis exhaurire, cuius iam parum ſupereſt: ideoq; à prædicto R. P. requiſiuerunt, vt conſentiret; ne illud ſcriptum Protocollo inſereretur, non vrgente etiam ad præſens prædictam ſatisfactionem D Hülſemanno. Interpoſitæ itaq; prædictorum Illuſtriſſimorum & Illuſtrium DD. authoritati, nec non iuſtæ rationi illorum pro modeſtia religioſa prædictus R. P. deferens facilè his acquieuit. Seßio indicta pro ſequenti die Lunæ.

Die Trigeſimâ Octobris.

Actum eſt de conferendis Actis, & indicta ei negotio hora ſecunda poſt meridiem.

SESSIO XXVIII.
Die Trigeſimâ primâ Octobris.

Ad rationes DD. Catholicorum nuper propoſitas, à DD. Reformatis reſponſum eſt, & interim elabente tempore, pro continuatione in conferendis Actis, hora 2 poſt meridiem deſignata.

Digitized by Google

SESSIO XXIX.
Secundâ Nouembris.

In præſentia DD. omnium partium Deputatorum Illuſtriſſ. D. Legatus, dixit ſe cum DD. Theologis Catholicorũ egiſſe ſuper ſcriptis DD. Reformatorum & Auguſtanorum Protocollo inſerendis. Qui quidem è medio ſui tum ſuper ea cauſa, tum ſuper vlteriore præſentis Colloquij progreſſu declarationem vltimam ſe daturos promiſerunt. Quod cum DD. partium Deputati admiſiſſent, R. P. Schönhof S. R. Maieſtatis Theologus ad DD. Deputatorum conclaue vocatus, ita dicere cœpit.

Illuſtriſsimi, Illuſtres, & Magnifici Domini.

In proximis DD. Veſtrarum conſeſsibus, agitata fuit priſtina, & ſatis iam adulta quæſtio, de admittendis vel non admittendis ſcriptis vtriuſq; Partis, Auguſtanæ & Reformatæ. Noſtra Catholica Pars, cùm videat negotium principale, tot rationum pugnantium conflictationibus non proficere, ſed magis magiſq; impediri, doleatq; vehementer, poſt conſumptum inutili operâ bimeſtrem conatum, etiam vnum, qui ſupereſt, præfiniti temporis menſem periclitari, vt extremam ſaltem huius occaſionis particulam, arripere & lucrari poſſit, & vel tertiam conceſsi temporis partem, in qualem qualem totius negotij prouentum conuertere, communi conſilio conſtituit, ab omnibus deinceps communi nomine habendis concertationibus ſuperſedendum eſſe. Et hac vnica declaratione, quam per me denunciat, & ex ſua Parte vltimam eſſe vult, finem his actionibus quibus nihil agitur, imponere; adiecto tamen vnico, quanquam tripartito remedio, quod ſuggerit & offert, exiſtimatq; fore reliquo negotio peropportunũ & ad aliquid deinceps agendum non incommodum.

De-

Declaratio noſtra tota verſatur circa ſcripta vtriuſq; Partis, Reformatæ & Auguſtanæ, quæ (quemadmodum audire quotidie cogimur) pleriq; Confeſsiones ſuas vocant, quamuis initio, nomen Confeſsionum, cùm ſignificaſſemus nobis diſplicere, ipſi quoq; viderentur reijcere, & improbare.

Itaq;, quod illa ſcripta concernit, declaramus, ea ſub hac forma, quâ iam concepta & conſignata habentur, admitti à nobis in Protocollum nequaquam poſſe, & hâc vnâ declaratione noſtrâ omnē ſpem admiſsionis, & vlteriorem ſuper ea re diſceptationem, præcidere volumus. Facimus hoc imprimis ex ſenſu S. R. M. Noſtros enim in hac cauſa ſenſus, iam pridem depoſuimus, & in manus, poteſtatemq; S. R. M. Dñi N. C. vltrò vnà Vobiſcum conſignauimus, tum verò præcipuè, cùm expeditis ab omnibus tribus Partibus Internuncijs ad S. R. M. deciſionem huius controuerſiæ ab ipſius S. R. M. Dñi N. Clementiſſ: ore, cenſura, & arbitrio peteremus; eâ ſine dubio mente & animi præparatione, vt prolatæ per Sapientiſsimi & Pijſsimi REGIS arbitrium ſententiæ, acquieſceremus, eiuſq; ductum Regium vnanimiter ſequeremur. Cenſuit ille, diſertiſq; verbis denunciari iuſsit, id quod iam ante ſcripto ſupplemento inſtructionis, & viuis reſponſis expoſuerat, nempè, vtrumq; ſcriptum aliter formandum fuiſſe, & ſub tali forma admittendum non eſſe. Nobiſné liceat aliter ſentire, vel agere? & ne penderemus ambigui, quid tandem illud foret, quod iuſtam viſum eſt mereri repulſam, pleraq; capita expungendorum, non tantùm intimare, ſed propè indigitare dignata eſt S. R. Maieſtas. Et nos certemus adhuc, num inſertum ſit aliquid, quòd expungi mereatur? Nobis non licet eſſe tam conſultis, vt noſtras ſententias Regijs oraculis ſuperimponamus, admittamuſq, noſtro arbitrio, quòd Princeps Sapientiſsimus cenſuit non admittendum. Illud ſingulare eſt, quod ex ore S. R. M. apportarunt, tum noſtræ, tum veſtrarum Partium Internuncij, nempè apertis verbis conteſtatā eſſe S. R. M.

 vtrū

vtrumq; ſcriptum multum ab inſtructione primitus data deſciuiſſe. Nobis autem ſemper fixum ratumq; fuit, ab eadem ne latum quidem vnguem diſcedere, & obſtare totis viribus aliorum conatibus, qui nos aliò ducere, & trahere vellent. Intimis enim pectoribus accepimus, quòd tum alias, tum per eoſdem partium Internuncios S. R. Maieſtas clementiſsimè nos monere dignata eſt, ſpem nullam boni progreſſus fore, ſi ab eo tramite, quem ipſa declarauerat, ſemel nos dimoueri pateremur; aliter inter periculoſos nos procedere ſcopulos, aliâ viâ portum ſine periculo vix obtineri.

Veniam igitur dabitis, ſi ſtatim, cùm vix ſoluiſsemus à littore, ductum veſtrum ſequi noluimus, & non niſi ad Regiæ Manuductionis lineam, ſcripta præterita exigi velimus, præſertim in eo paſſu in quo ſubſtitimus. Cùm enim in toto negotio multum intereſſe noſtrâ crederemus, à ductu Regio nequaquam deflectere, tum verò maximè, in ea actione, quæ liquidationem doctrinarũ concernit, in qua nihil vnquam magis timuimus, quàm confuſionem, vnicam matrem ſiniſtrarum intelligentiarum, & natarum inde diffidentiarum.

Acceſsit & altera authoritas, quâ ad eam nos legem arctiſsimè adſtrictos ſenſimus, vt ab ea Methodo, & agendi forma, quàm S. R. M. præmonſtrauit, ne minimum quidem deflecteremus, Authoritas, inquam, Illůſtriſſ & Reuerendiſſ. Principis, ac Dñi D. Archiepiſcopi & Primatis, qui cùm ſua nos quoq; inſtructione munire & armare vellet, tantâ conſpiratione ſenſus, & totius formæ, in Methodum ordinemque S. R. M. incidit, vt planè miraremur, & ab eodem Dei Spiritu, vtramq; Inſtructionem profectã eſſe facilè agnoſceremus. Illuſtriſsimus igitur Archiepiſcopus, & ſuâ procedendi formâ nos ligat, & ſimul ad Regiæ Inſtructionis ordinem adſtringit. Nos autem tum obſeruantiâ, tum debitâ obedientiâ, vtriq; obſecundare decet. Neq; verò obſtat, quod conceſſa

Digitized by Google

ceſſa ſit poteſtas condendi leges. Ea enim nullam vim habituræ erant, niſi ex partium conſenſu; nos autem in nullas conſenſimus, aut conſentire volumus, ſi videantur, aut deuiare à Manuductione S. R. Maieſtatis, aut eidem aduerſari.

Sed quid opus eſt multis? Vnica vox Scripto DD. Reformatorum inſerta, vniuerſum negotij curſum iuſtiſsimè, ex noſtra parte ſiſtere, & nos ab omni progreſſu arcere potuit. Præfixerunt toti ſcripto titulū Doctrinæ Catholicæ: ita enī inſcriptio habet: *Specialior declaratio doctrinæ Catholicæ, &c.* Petijmus toties aboleri, ſed vendicatio eius tituli quaſi iuſta, in hanc vſq; diem defenſa fuit. Multæ ratiocinationi, quâ expoſtulationem noſtram iuſtam eſſe oſtendamus, hic locus non eſt: reſeruanda enim erat hæc actio, prout & ipſa tituli vēdicatio, in poſtremum ſaltem ſecundæ actionis gradum. Interim poſſeſsionem noſtram integram eſſe volebamus, neq; poteramus taciti permittere, nouam in hoc Regno eamq; publicam noui Nominis vendicationem: in hoc, inquam, loco & occaſione, ex quâ prætenderetur, ſuo tempore, & loco, publica, & quaſi ſolennis comprobatio, adiecta præſertim illi ſcripto manus Epiſcopalis ſubſcriptione, quam exigere poterant. Vna quidem, & exigua vox eſt dici Catholicum: at ingentia rerum nouarum & malarum, ſi nouiter vſurpetur, agmina poſt ſe trahit; ſtatuum in hoc Regno turbamenta, iurium confuſionem, veterum poſſeſsionum, & præſcriptionū conuulſionem, nouarum vſurpationum obtenſionem, rerum omnium perturbationem. Sciunt omnes Catholicos in hoc Regno iure primigenio niti, ſciunt, in Prouincijs, & vrbibus primum ſemper in omnibus Priuilegijs, vbi Religionum fit diſcretio, Catholicis, & Catholicæ Religioni locum dari: inde quid ſaltem poſteris oboriri poſſet dubij, & difficultatis? Mihi certū eſt, & probè perſuaſum, Illuſtriſsimas, Illuſtres, & Magnificas DD. Veſtras, eò non collimaſſe, ſed in poſteritatē proijciendus eſt oculus eius prouidentiæ, quæ ſanè in DD. veſtris eximia eſt.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſanè cauſa fuit inter alias S.R. M. Dño Noſtro Clementiſſ: cur nuper in ſupplemento tantâ verborum energiâ nouorum nominum vſurpationem vetuerit.

Meminimus Conuentum fuiſſe de titulis, at nihil aliud per conſenſum probatum eſt, quàm vt in Protocollis Partis Reformatæ & Auguſtanæ Notarij, liberâ conſcientiâ notare poſſent. nomen Romano-Catholicorum, ſi quando à ſuis Collocutoribus proferretur, ſeruato nobis iure actiuæ & paſsiuæ compellationis Catholicorum, & impoſitâ Notarijs lege, vt eodem, ſi compellaremur etiam conſignaremur. Itaque nunc iterùm, iterumq; & ſi opus eſt millies proteſtamur, ſub eâ compellatione doctrinæ, nullam aliã à nobis admitti poſſe præter eam quæ noſtra eſt. Etſi hæc compellatio aliarum doctrinarum auerti nequit, ſupereſſe, vt hîc ſubſiſtamus, & neque ad vnum paſſum procedamus.

Erant initio aliæ quoq; reclamandi cauſæ, cur ſcripta reprobaremus, ſed pleraſq; ne Partes irritare videremur celauimus. Iuſſus ſum edicere: Principio ſtatim mirati ſumus, cur tanto conatu & opere vrgeretur ſcriptorum illorum authenticatio, cur tantæ authoritati, tantis noſtris rationibus, atq; etiam amicis precibus non cederetur? Incidit pleriſq; ſagaciùs omnia circumſpicere volentibus ingens ſuſpicio, aliquos hoc ſolùm agere, vt tractatus iſtiuſmodi ederentur, & authenticarentur, in quibus doctrinæ Auguſtanæ & Reformatæ redderetur ratio, & quaſi iuſtæ ab Eccleſia Romana ſeceſsionis demonſtratio, quo peracto vel impetrato timebatur, ne quaſi re iam confectâ illicò abirent, minimè de vlteriori tractatione reconciliationis & pacis ſolliciti. Huic periculo obuiare voluimus, obſiſtendo & tanto quidem magis; quòd eiuſmodi ſcripta præſeferre viderentur, nomen & rem Confeſsionis, quæ ſi à noſtra Parte acceptaretur, Protocollo inſereretur, manu Epiſcopi ſubſcriberetur, circumferretur deinceps tanquam acceptata, ſignata, ſubſcripta etiam à Catholicis. Hoc certè rei Catholi-

tholi-

Digitized by Google

tholicæ, & periculoſum,& pernicioſum fore, prudenter præuiſum eſt. Conſtabat etiam eſſe contra expreſſam mentem S.R.M. contra ſcopum negotij, contra propoſitum noſtrum, contra mandatũ eorum, à quibus delegati fuimus. Nec enim ad quidquam aliud, quàm ad collationandum doctrinas miſsi ſumus, videndumq; num ſe modus aut ratio offerret, quâ Partes Religione diſsidentes ad vnitatem Fidei & Doctrinæ reducerentur; ſanctiones Confeſſionum nouarum, ab hoc propoſito & inſtituto alieniſsimæ ſunt, imò quidquid prætergreditur fines, & rationem collationis, ab hoc negotio procul exulare voluimus.

Addo tandem, quod vltimum eſt, longiſsimum illud vtriuſq; Partis Scriptum, ſi acceptatum fuiſſet, grauem ipſi protocollo allaturum fuiſſe notam, & ingens incommodum. Neq; enim vos latet, omne ſcriptum, ex propoſitionibus diſſonantibus à noſtra Catholica doctrina, conflatum, ex omnium Doctorum noſtrorum Catholicorum ſenſu, qui eximi illis nequaquam poterit, haberi, & dici hæreticum. Quòd ſi integrum conficiat tractatum, & ita indiuulſum, neque proximè confutatum inſeratur libro, librum integrum cenſeri, & dici Hæreticum: eoq; nomine à legitima poteſtate interdici; poſitâ ſeueriſsimâ lege, & prohibitione; ne ab vllo Catholico legatur, teneatur &c. Quo fieret, ſi tractatus illi vtriuſq; Partis Protocollo noſtro integri, & vt neceſſe fuit, indiuulſi inſerti fuiſſent, Protocollum eandem cenſuram, atque prohibitionem non euaſiſſet. Quod quã S.R.M. Veſtriſq; Illuſtriſſ. Illuſtr. & Mag. DD. totiq; Collegio Collocutorum omnium honorificũ fuiſſet magnis, & ſublimibus iudicijs Veſtris Vos ipſi penſitate. Optabamus igitur alium ſcriptorum formam, & ordinem, quâ, ſaluâ ipſius Protocolli gloriâ, ea quæ ad ſenſus partium explicandos pertinebant, ſufficienter explicari, & inſeri potuiſſent.

Et hæc ſanè erant, quæ ex parte noſtra, æquitati cauſæ noſtræ ſemper ſufficere viſa ſunt, cùm tantâ conſtantiâ inſcriptioni tractatuũ

Digitized by Google

illorum obſiſteremus. Quid verò iam ſupereſt remedij? Vrgebatur hactenus correctura à nobis punctatim præmonſtrāda, verùm ex his, quæ paulò prolixiùs retuli intelligitis futurum illud fuiſſe, vt eiusmodi à nobis deſideraretur correctura, qualem nequaquā admiſiſſetis. Non enim ea tantum expungi voluiſſemus, quæ nos offendunt, quæ actiones confundunt, quæ doctrinam noſtram obtenebrant, quæ Catholicos ſugillant, quæ incompetenter allegantur, quæ noſtra traducunt; ſed ea quoque, quæ exundant, quæ tractatum implent, quæ confeſsionem ſapiunt, quæ à natura, & conditione breuium ſimpliciumq; propoſitionum recedunt: Vno verbo, exæquationem popoſciſſemus cum noſtris propoſitionibus, quæ ex breuitate ſua, claritate, ſufficientia alijsq; laudibus, ab ore S. R. M. inſigne Encomium retulerunt; ſed erant aliæ quoq; grauiſsimæ rationes, ob quas ad illam particularem erratorum corrigendorum præmonſtrationem, ijs præſertim legibus, quas nobis imponere volebatis, non deſcendimus.

1. Conſtat nobis, quàm firma fixaq; vobis ſtet animi veſtri ſententia, vt Confeſsiones illas, vti vocant, ſeruetis integras & illibatas: ita enim ſæpè ſæpiùs nobis etiam audientibus proteſtati eſtis.

2. Audimus etiam nunc, iactare quoſdam, quaſi ſcripta illa optimè conſonent menti Regiæ, nihilo diſcedant ab Inſtructione &c. quæ ſanè exiguam faciunt ſpem futuræ correcturæ.

3. Prætendebatis hodieq; prætenditis, ſaluâ conſcientiâ veſtrâ, nil immutari poſſe.

4. Agnoſcitis & palam fatemini, miſſas eſſe ad quoſdam Principes, aut Principales: nobis etiam neſcio, quis tacitus rumor aures, & ipſa quoq; pectora aſperiùs vellicat, alicubi ea iam imprimi.

5. Accingamur ſanè labori, & ordiamur corrigere, nonne validiſsimi ad ſingulos paſſus occurrerent obices? eundem mihi credite, quem hactenus decurrimus, deinceps circuibimus Labyrinthū: his cauſas obtendentibus, vt pleraq; corrigantur expungantur, alijs in oppo-

in oppoſitum multa allegantibus, quibus perſuadere volent, nec expungi, nec corrigi debere.

6. Quis tandem exitus, quis fructus eius conatus, in his temporis anguſtijs? Vix dimidium decurreremus, cùm meta definiti temporis à progreſſu nos excluderet, & offerremus orbi Terrarum ridendam potiùs operam, quàm probandam.

7. Vrgeretur vt ſcripta, in eadem fortaſsis amplitudine, & prolixitate conſeruata inferrentur protocollo, quibus ex noſtra parte nihil par adiectum eſſet, non ſine maximo doctrinæ noſtræ præiudicio.

Inde igitur parua ab hoc remedio ſpes: Interim hæremus inter hos ſcopulos noſtræ obſiſtentiæ, ne ſcripta admittantur, & veſtræ obfirmatæ voluntatis, vt ſub ea forma protocollo inſerantur. Orbis iudicet penes quos cauſa ſit æquior. Illud verò omnium ſapientum iudicio præcipuè librabitur, an oportuerit, tam grande negotium irritari, & caſſum reddi, propter reprobationem vnius ſcripti, quod hinc quidem à Catholicis ſine maximo cauſæ ſuæ totiuſq; negotij detrimento, ſine aliquo vilipendio Regiæ, & Archiepiſcopalis authoritatis, admitti non potuit; inde verò à Diſsidentibus nullo, vel ſuo, vel negotij detrimento, nullâ ſua notâ, omitti potuit? Si iam non ſupereſſet modus, & remedium, quo etiam excluſis hiſce, vt vocantur, Confeſsionibus, ſine veſtro noſtroq; damno, & cum maximo Eccleſiæ, Patriæ, populorumq; prouentu, ex mẽte, & deſiderio S. R. M. procedere queat negotium, haberemus quod liceret ad excuſationem prætendere. At cùm non deſit via, & ratio promouendi negotium, ſepoſitis hiſce de ſcripto diſceptationibus, non poterit, non admirari Orbis, ſi negotium, hic ſiſtimus, aut peſſundamus. Sed quæ tandem via? quis modus?

1. Seruentur in manibus *Veſtris*, vtriuſq; Partis ſcripta integra, ſub ea planè forma, quâ iam concinnata ſunt. Inde extrahantur pauculæ, ex ſingulis capitibus propoſitiones, noſtris propoſitioni-

illorum obſiſteremus. Quid verò iam ſupereſt remedij? Vrgebatur hactenus correctura à nobis punctatim præmonſtrāda, verùm ex his, quæ paulò prolixiùs retuli intelligitis futurum illud fuiſſe, vt eiusmodi à nobis deſideraretur correctura, qualem nequaquā admiſiſſetis. Non enim ea tantum expungi voluiſſemus, quæ nos offendunt, quæ actiones confundunt, quæ doctrinam noſtram obtenebrant, quæ Catholicos ſugillant, quæ incompetenter allegantur, quæ noſtra traducunt; ſed ea quoque, quæ exundant, quæ tractatum implent, quæ confeſsionem ſapiunt, quæ à natura, & conditione breuium ſimpliciumq; propoſitionum recedunt: Vno verbo, exæquationem popoſciſſemus cum noſtris propoſitionibus, quæ ex breuitate ſua, claritate, ſufficientia alijsq; laudibus, ab ore S. R. M. inſigne Encomium retulerunt; ſed erant aliæ quoq; grauiſsimæ rationes, ob quas ad illam particularem erratorum corrigendorum præmonſtrationem, ijs præſertim legibus, quas nobis imponere volebatis, non deſcendimus.

1. Conſtat nobis, quàm firma fixaq; vobis ſtet animi veſtri ſententia, vt Confeſsiones illas, vti vocant, ſeruetis integras & illibatas: ita enim ſæpè ſæpiùs nobis etiam audientibus proteſtati eſtis.

2. Audimus etiam nunc, iactare quoſdam, quaſi ſcripta illa optimè conſonent menti Regiæ, nihilo diſcedant ab Inſtructione &c. quæ ſanè exiguam faciunt ſpem futuræ correcturæ.

3. Prætendebatis hodieq; prætenditis, ſaluâ conſcientiâ veſtrâ, nil immutari poſſe.

4. Agnoſcitis & palam fatemini, miſſas eſſe ad quoſdam Principes, aut Principales: nobis etiam neſcio, quis tacitus rumor aures, & ipſa quoq; pectora aſperiùs vellicat, alicubi ea iam imprimi.

5. Accingamur ſanè labori, & ordiamur corrigere, nonne validiſsimi ad ſingulos paſſus occurrerent obices? eundem mihi credite, quem hactenus decurrimus, deinceps circuibimus Labyrinthū: his cauſas obtendentibus, vt pleraq; corrigantur expungantur, alijs in oppo-

Digitized by Google

in oppoſitum multa allegantibus, quibus perſuadere volent, nec expungi, nec corrigi debere.

6. Quis tandem exitus, quis fructus eius conatus, in his temporis anguſtijs? Vix dimidium decurreremus, cùm meta definiti temporis à progreſſu nos excluderet, & offerremus orbi Terrarum ridendam potiùs operam, quàm probandam.

7. Vrgeretur vt ſcripta, in eadem fortaſsis amplitudine, & prolixitate conſeruata inferrentur protocollo, quibus ex noſtra parte nihil par adiectum eſſet, non ſine maximo doctrinæ noſtræ præiudicio.

Inde igitur parua ab hoc remedio ſpes: Interim hæremus inter hos ſcopulos noſtræ obſiſtentiæ, ne ſcripta admittantur, & veſtræ obfirmatæ voluntatis, vt ſub ea forma protocollo inſerantur. Orbis iudicet penes quos cauſa ſit æquior. Illud verò omnium ſapientum iudicio præcipuè librabitur, an oportuerit, tam grande negotium irritari, & caſſum reddi, propter reprobationem vnius ſcripti, quod hinc quidem à Catholicis ſine maximo cauſæ ſuæ totiuſq; negotij detrimento, ſine aliquo vilipendio Regiæ, & Archiepiſcopalis authoritatis, admitti non potuit; inde verò à Diſsidentibus nullo, vel ſuo, vel negotij detrimento, nullâ ſua notâ, omitti potuit? Si iam non ſupereſſet modus, & remedium, quo etiam excluſis hiſce, vt vocantur, Confeſsionibus, ſine veſtro noſtroq; damno, & cum maximo Eccleſiæ, Patriæ, populorumq; prouentu, ex mente, & deſiderio S. R. M. procedere queat negotium, haberemus quod liceret ad excuſationem prætendere. At cùm non deſit via, & ratio promouendi negotium, ſepoſitis hiſce de ſcripto diſceptationibus, non poterit, non admirari Orbis, ſi negotium, hic ſiſtimus, aut peſſundamus. Sed quæ tandem via? quis modus?

1. Seruentur in manibus Veſtris, vtriuſq; Partis ſcripta integra, ſub ea planè forma, quâ iam concinnata ſunt. Inde extrahantur pauculæ, ex ſingulis capitibus propoſitiones, noſtris propoſitioni-

 bus

Digitized by Google

bus proportionatæ; complectentes præcipua quæque, & generalia ſemina doctrinarum, deinceps in publicum producendarum, & declarandarum. Eas nullâ interpoſitâ morâ Protocollo inſeri libenter permittimus. Interim ſuccedant ſingularium doctrinarum, aut capitum declarationes,& deſcenſus vſq; ad particulares,& particulariſsimos articulos,& ne quid videamur ſubterfugiſſe eorum, quæ in ſcriptis hactenus porrectis comprehendebantur, ipſo declarationis tempore, ex eiſdem ſcriptis, ſingulæ propoſitiones in medium producantur, & cum noſtris quoq; declarationibus conferantur. Quod ſi viſum fuerit, vt hæ ipſæ propoſitiones declarationis loco Protocollo inſerantur, non immutatis ſubſtantialibus, & ijs quæ concernunt doctrinam, omiſsis tamen, quæ manifeſtè offendunt, ad ſingula noſtrarum declarationum puncta, inſerantur ſingula ſimiliter ex his ſcriptis tranſlata puncta, ita vt poſt propoſitionem generalem, vna quæpiam noſtra declaratio, locum ſuum occupet, proximum verò partis oppoſitæ declaratio ijſdem verbis concepta obtineat, atq; ita procedatur in longum à Primo capite vſq; ad vltimum.

2. Si fortè viſum non fuerit, in his anguſtijs temporis totius doctrinæ, prout ſcriptis concepta eſt, fieri eiuſmodi interpolatam declarationem, aſſumamus caput vnum; cui imprimis præmittatur ſummaria propoſitio, ſuccedat deinde declaratio, ab vtraq; parte inſerenda, retenta ſemper eâdem Methodo & ordine, quem requirit Inſtructio S.R.M. vt nimirū poſt vnius iſtius capitis ſufficientes, & copioſas declarationes ſubijciatur depuratio doctrinarum, & exprimantur vltimò Antitheſes, formeturq; principalis ſtatus controuerſiæ.

3. Si fortè difficultas futura eſt, vt integræ aliquæ partes in eam formam procedendi conſentire nolint, efficiant Illuſtriſsimæ, Illuſtres, & Magnif. DD. Veſtræ, vt viri pauci, duo, treſué, DD. Veſtrarum ſaltem nomine, in eandem formam, ac methodum conſen-

ſen-

ſentiant, & ſi non in loco publico, ſaltem in hoc concläui, aut vbi libuerit, ſaltem de vno minimo fidei articulo (ſi quis tamē minimꝰ in rebus fidei articulus dici poteſt,) eiuſmodi propoſitiones forment: declarationes nobiſcum conficiant, deinde ab imputationibus depurent; & deniq; formato ſtatu controuerſiæ, toti Orbi exhibeant, vnum ſaltem ſpecimen eius laboris, & operæ; quam in hoc theatro præſtituri eramus, aut ſaltem præſtare deſiderabamus, & nunc etiam deſideramus, ſimulq; oramus, & obſecramus Illuſtriſsimas, Illuſtres & Mag. DD. Veſtras, perſuadere velint ſibi, ſuiſq; partibus, eam agendi rationem; quâ aliquid agamus, neq; hinc abeamus, cum iſtâ, certè non ſatis glorioſa diuulſione Partium, & negotij totius, in quo quidem hactenus nihil confectum eſt, & ſi deinceps nihil confici poteſt, aut aliquibus reſiſtentibus, ipſum per ſe ruiturum eſt negotium; iudicet Orbis vniuerſus Chriſtianus, quæ Pars cauſam dederit tantæ fruſtrationis. Nos hac ipſâ horâ, imò hoc ipſo momento, prodire parati ſumus, & in iſtud charitatis certamen deſcendere. Et vt idē partes velint, idemq; præſtent, per Illuſtriſsimas, Illuſtres, & Mag. DD. Veſtras fieri poſſe credimus, & ab vtraq; parte Auguſtana videlicet, & Reformata præſtandū ſperamus.

Finitâ hac Declaratione, ſubiunxit idem Pater, per eam Declarationem ad rationes, à DD. Reformatis nuper redditas, nunc reſponſum non eſſe, ſed in caſu, quo rationes illæ in publicum prodirent, reſponſum Parti Catholicæ integrum reſeruari. Interim ſuo & Catholicorum omnium nomine, iterum petijt, vt ad principale negotium ſine mora procedatur, alia verò omnia ne curſus publici negotij impediatur, quaſi lateraliter tractentur.

Reſpondit Illuſtriß: D. Chelmenſis, duas in eâ allocutione DD. Catholicorum eſſe partes. In prima rationes proponi ob quas ſuarum partium ſcripta Actis inſerta non ſint. In altera verò modos, quibus deinceps in negotio procedatur. Proinde cum vtraq; mutuam inter

 Par-

Digitized by Google

Partes collationem requirat, reſponderi tam ſubitò non poſſe, ſe tamen certò pro ſua Parte ſpondere, eos minimè ſubterfugere, quo minùs ſine mora ad rem accedant. Interim modos & media à DD. Catholicis propoſita ponderaturos. Seſſio ſoluta.

SESSIO XXX.
Die Tertiâ Nouembris.

Coram DD. omnium Partium Deputatis, Illuſtriſſimus D. Legatus ita propoſuit. Exiſtimabam nos hodie poſt datam heri à Theologo Partis Catholicæ declarationem, ad rem, de qua agimus, ſine mora acceſſuros; ſed quia Partes veſtræ ea ſuper re deliberant, ne tempus fruſtrà conteratur, Dubia quæ in Actorum prælectione occurrerunt, interim expendantur & complanentur, iuxta heſternæ Seſſionis placitũ.

1. Dubium fuit de Titulo Vniuerſali Actis præfigendo, & Procemio, Deciſio vtriuſq; dilata vt interim procedatur ad Acta.

2. De Titulo *Admodum Rñdi Dñi* D. Hülſemanno dando iuxta poſtulatum Seſsionis decimâ quartâ die 16. Septemb. notatum. *Reſpondit Illuſtriſſ. D. Legatus*: neq; Catholicis Prælatis adimi poſſe, quod in hoc Regno vſu, poſſeſſione, & præſcriptione obtinent, neq; D. Hülſemanno, id quod nunquã hîc habuit tribui, *interim ad vlteriorem priuatam tractationem res ſepoſita.*

3. Cùm in Actis citatæ Seſsionis, omnes ſeptem Notarij conſignarint illas voces [Priuata ambitione] an iuxta D. Hülſemanni poſtulationem, illæ expungi, illarumq; loco debeant ſubſtitui [ambitione aliqua] Reſponſum eſt, quando omnes Notarij concordant, neminem eſſe debere tantæ authoritatis, vt id corrigat. Illis verò diſcordantibus noſtrum eſt decidere. Vnde cùm hîc Notariorũ conſenſus ſit, retineantur voces illæ [ambitione priuatâ]

4. Qui ordo ſeruandus ſit, quando DD. Auguſtani, & DD. Refor-

Digitized by Google

Reformati ſimul occurrunt nominandi. Reſponſum eſt, omnia vt ſunt in Protocollo die 29. Auguſti, maneant, & deinceps liberum ſit ſcribere, prout contigerit nominari.

5. Quando ſcripta alicuius partis Illuſtriſſ. D. Legato inſinuata, non eâdem die parti alteri, ſed poſtmodum exhibita ſunt, quæ illarum dierum in actis conſignanda? Reſponſum eſt vtramq; diem, & vti res acta eſt, conſignandam: & ſimul cauſam non redditorum parti Scriptorum notandam. Vnde cùm ſcripta DD. Catholicorum die 29. Auguſti, Illuſtriſſ. D. Legato inſinuata DD. Auguſtanis, nonniſi die 31. Auguſti exhibita fuerint, ne cauſa moræ in Illuſtriſſ. D. Legatum deuoluatur, inſerenda eſt Actis cauſa, videlicet, quòd DD. Auguſtani, ſcripta viciſsim DD. Catholicis reddenda, nec dum habuerint parata.

Dum hæc aguntur, R. P. Schönhof S.R.M. Theologus, ad Illuſtriſſimorũ DD. Deputatorum Conſeſſum venit, & nomine tum Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: D. Præſidis, tum omniũ Theologorum Catholicorũm, ad Declarationem heri propoſitam, certum & vltimum reſponſum petijt, præſertim cum ad duodecimam horam, quæ iam audita eſſet, Pars Catholica Reſponſum illud expectarit.

Reſpondit Illuſtriſſ: D. Caſtellanus Chelmen: parari Reſponſum; Interim cùm tempus Seſsioni deſignatum, iam tranſierit, non poſſe DD Catholicos ampliùs diſtinêri.

Subiunxit Magnif: D. Droboiowski, hodiernum tempus deciſioni dubiorum eſſe deſignatum.

Excepit Illuſtriſſ: D. Legatus. Priores quidem horas Dubijs fuiſſe deſignatas; reliquum verò tempus Negotio Principali tractando, vnde in ſequentem diem ab octaua hora ad nonam deſignauit tempus dubijs ſoluendis, reſiduum verò, reſponſo poſtulato, & negotio principali.

SES-

Digitized by Google

SESSIO XXXI
Quartâ Nouembris.

Cùm iuxta proximè præteritam Seſsionem, Dubia, quæ in relatione Actorum occurrerunt, adhuc ſoluenda ſupereſſent, placuit Illuſtriſsimo D. Legato, vt in iis procederetur. Aliis igitur nonnullis, præſertim quæ in Seſsionibus diei vigeſimæ nonæ, & trigeſimæ primæ Auguſti, item diei ſeptimæ Septembris, notata fuerunt, ſuo loco vt oportebat correctis, placuit, vt iuxta conditionem 20 præliminarem 2 Septemb: notatam formula Precum *Parti Auguſtanæ ſingularis, quâ tamen in publico vſi non ſunt, Actis inſeratur: cuius tenor eſt talis.*

DEVS cuius cauſa agitur, Deus Sancte Spiritus, illabere his mentibus, linguis, penniſque ſcriptoriis, eaſq; totus poſside, illuſtra, dirige, vt hoc ſolùm concipiant, meditentur, ſtatuant, quòd menti tuæ in ſacris literis reuelatæ per omnia conforme, & ad ſalutiferam pacem inter diſsidentes conſtituendam, firmandamque appropriatiſsimum eſt. Hoc fac, hoc præſta, Orate & exorate, per ſanctiſsima vulnera Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Jnterim R. P. Schönhof S R. M. Theologus, ad DD. Deputatorum conclaue venit, & hunc in modum locutus eſt.

Illuſtriſsimi, Illuſtres, & Magnifici Domini

Tertia iam dies labitur, ex quo modos & media, quibus negotium principale videbatur poſſe promoueri, ſuggeſsimus, & nos paratos eſſe, ad prodeundum in publicum, illo ipſo tempore, ac momento, ſignificauimus. Interim nullum reſponſum habemus; cùm tamen hodie circa nonam reddendum fuerit, iuxta ſpem ab Illuſtriſſ: D. Legato heſternâ die datam. Iam autem decima præteriit: veremur, ne reliquæ duæ horæ Seſsioni deſtinatæ elabantur, noſq; reſponſo vacui iterum abeamus. Petit itaque Illuſtriſſ: ac Rñdiſſ: D. Antiſtes & Præſes noſter, totumq; Collegium noſtrum Theologicum, vt Illuſtriſsimæ, Illuſtres, & Magn: Dña-

Dñationes Veſtræ, dignentur à ſuis reſponſum vrgere, vt ſaltem reliquis horis, certi aliquid hodie audiamus, quo nos ipſi quoque reſponſum hodie reponamus, & ſic proximâ Feriâ ſecundâ rem ipſam, quod vnicè deſideramus, ſeriò aggrediamur. Alioqui dies reliqui, & Menſis hic qui reliquus eſt, ſine fructu præterlabetur. Quocirca iterum atq; iterum petunt omnes, vt mentem DD. Collocutorum vtriuſq; Partis intelligamus & modo ſtatim aliquid certi in commune concludamus. Neq; mirentur, quòd tantoperè reſponſum vrgeamus. Nam præterquã quod maximo deſiderio negotij principalis teneamur, impellimur etiã à rumore, nõ in Vrbe tantũ, ſed circumquaq; ſparſo, quaſi nos ſimus, qui moram negotio facimus, qui comparere nolimus, nec audeamus, de qua iniuria, Pars Catholica grauiter proteſtatur, & petit, vt Illuſtriſsimæ, Illuſtres, & Magn: DD. Veſtræ, à ſuis impetrent, aut extorqueant, vt re ipſâ oſtendant, ſeipſos non eſſe in cauſa tantarum morarum.

Ad hæc Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Chelmen. quo magis (*inquit*) deliberamus, quid reſpondeamus, tanto magis, ſcitote rem nobis eſſe cordi.

Mox ſubiunxit Illuſtriß. D. Capitaneus Stumen. eſt iſta finalis reſponſio, debet benè de illa deliberari: paratur tamen.

Et R. P. Schönof. etiamſi *inquit* in reſponſo aliqua aculeata continerentur, non patiemur, nos induci, vt reſpondeamus, ne reſpondendo tempus negotio principali ſubtrahamus.

Hîc deliberationis cauſa Partes ad ſua conclauia ſeceſſerunt; & poſt reditum *Illuſtriß: D. Caſtellan. Chelmen.* etſi *inquit* reſponſum Partis noſtræ paratum ſit, tamen quia videmus tempus elabi (tantùm enim hora iam ſupereſt, & tamen reſponſum plus quàm horã requirit) ad feriam ſecundam negotium differatur; vt in ipſo horæ octauæ puncto, tum reſponſum demus, tum deinceps ad rem ipſam accedamus.

Digitized by Google

Quod porrò *R. P. Schönhof* proteſtatur, ratione rumorum, nos quoque ex rumore in multis iudicamur; ſed habemus rumorem pro falſo Iudice, Protocolla iudicabunt qui fuerint cauſa moræ.

Illuſtriſſimus D. Legatus, noſtri *inquit* Theologi Catholici idcirco hodie reſponſum optabāt, & expectabāt, vt ſine vlla mora ad rem ipſam feriâ ſecundâ accedi poſſet. Et ſanè cum ſcriptum vt audio paratum ſit, facilè ab iiſdem DD. Theologis impetrabo, vt ſupra duodecimam horam aliquid temporis addant, hodieq; illud reſponſum audiant, ne feriâ ſecundâ tempus principali negotio eripiatur.

Hîc Magnificus D. Droboiowski Partis Reformatæ Director, Domini *inquit* Catholici ad deliberandum ſatis habuerunt temporis, nos heri primum declarationis illorum copiam accepimus, quod igitur temporis hodie ſupereſt ſolutioni dubiorum impendatur.

Nos verò *inquit Perilluſtris & Adm R. D. Zawiſſa, Partis Catholicæ Deputatus:* Proteſtamur; quod nulla in nobis moræ cauſa fuerit, parati enim eramus audire reſponſum, ſi redditum fuiſſet.

At verò *Mag. D. Boianowski,* nos *inquit* reproteſtamur nullam in nobis eſſe culpam moræ, cùm enim DD. Catholici finalem dederint declarationem, & nobis de finali declaratione benè deliberandum eſt.

Ad extremum circa liquidationem dubiorum DD. Reformati vrgebant, vt ſcriptum ſuum, quod vndecima Septemb. Actis inſertum non eſſet, tandem inſereretur, quandoquidem è S. R M. inſtructione ſcripta, in quibus nihil eſſet offenſiui, inſerenda eſſet. Quod cùm DD. Catholici non permitterēt, DD. Reformati cōtra proteſtati ſunt: è diuerſo R. P. Schönhof nomine DD. Catholicorū reproteſtatus, oſtendit ſcriptū illud

illud acceptum quidem à Catholicis fuiſſe, cùm autem non ad eum ſed ad alium locū pertineret, illo tunc loco inſeri non debuiſſe. Soluta Seſſio.

SESSIO XXXII.

Sextâ Nouembris.

Præſentibus omnium partium Deputatis in conclaui Illuſtriſſimi D. Legati, Illuſtriſsimus D. Caſtellanus Chelmenſis ex memoriali legit reſponſum Partis Reformatæ vt ſequitur.

Illuſtriſsime Domine Legate.

In Illuſtriſsimo Conſeſſu Veſtro præterita die 2. Nouemb. abſentibus noſtris Theologis, nobis pleriſq; id minimè fortè expectantibus, Theologum Partis Catholicæ prolixam quandam orationem prælegiſſe, & à Notarijs partium excipiendam, curaſſe, accepimus, quâ nos non obſeruatæ inſtructionis Regiæ, tertio iam, aut quarto accuſauit, & reijciendæ ex protocollis declarationis fidei noſtræ rationes, iam ante toties ab ipſo propoſitas, totieſq; à nobis retuſas maiore verborum apparatu repetijt, media deniq; continuandi colloquij nonnulla propoſuit.

Cum verò ad eandem accuſationem, eaſdemq; rationes ex memoriali quodā Partis Catholicæ die 28. Octobris nobis prælectas, noſtra item reſponſio pridie Calendas Nouembris Illuſtritatibus Veſtris maiore ex parte prælecta iam ſit, nos quidem illam nouiſſimam orationem, quoad partem priorem non modo ſuperuacaneam fuiſſe, ſed & vlteriori reſponſo, minimè indigere arbitramur. Attamen ſi Protocollis, & illa, & priores eiuſdem fere argumenti inſerendæ ſunt, ne accuſationes toties repetitæ, ſine vllo reſponſo noſtro in Protocollis legantur, vt nuperrimum ſaltem illud i;ſdem inſeratur obnixè petimus. Cum præſertim ipſimet verborum vlteriorem concertationem, temporiſq; maiùs diſpendiū vitari, haud

dubiè malint, quàm nouas refutationes, aut apologias inſtitui. In illo verò reſponſo noſtro, non tantùm rationes noſtræ, quãtum ſatis viſum eſt ponderatæ, ſed & noſtræ in contrarium grauiores multò (vt nobis videtur) atq; vrgentiores propoſitæ, medium etiam continuandi Colloquij conuenientius, iam tum à nobis indigitatum fuerit, quod ab oppoſitæ Partis Theologis, vel ignorari, vel diſsimulari ſanè nollemus. Illius ergò reſponſionis noſtræ verba, ijs modo, quæ offenſiua videri tunc poterant, ne fortè nouæ iam offenſionis materiam præbeant, omiſis, ita ſe habent, quæ à DD. Notarijs, vt iam conſignentur, officioſè rogamus.

Quanto cum dolore noſtro progreſſus inſtituti Colloquij impeditus ſit hactenùs, verbis vix ſatis exprimere poſſumus. At culpam inſuper eius remoræ in nos reijci, id verò non poſſumus non ferre grauiſsimè. A qua tamen ipſorummet nos facilè abſoluet conſcientia, ſi charitatem potiùs, quàm affectus, aut ſuſpiciones ſiniſtras, in conſilium adhibere, & eorum modo, quæ vtrinque hactenus acta ſunt, probè meminiſſe voluerint. Non repetemus omnia. De Doctrinæ noſtræ in controuerſis Capitibus declaratione, medio Septẽb: ipſis exhibita agitur. Eam vniuerſam ipſiſmet poſtulantibus, cum cæteroque nos quidem de ſingulis controuerſijs ſeorſim liquidandis agi mallemus, vix tridui ſpatio, eam in rem conceſſo conſcripſimus, ipſiſq; recognoſcendam obtúlimus, recognitam ad ipſorum præſcriptum, in ijs quibus ſe offendi ſignificarunt, vt traditæ nobis ipſorum annotationes teſtantur, mutauimus, ipſis poſt modum vrgentibus, 16 Septembr: in Publica Seſsione prælegi, quamuis priuatim, iterum recognoſcenda priùs fuiſſet, conceſsimus; ignominioſè verò non ſine graui verborum in nos contumelia reiectam, ægerrimè quidem, nec ſine reproteſtatione, ſed tamen patienter tulimus. Quæ reprehenſa publicè fuerant, etſi tueri facillimum fuerat, expungere, quæuè inuolutiùs dicta arguebantur, dilucidiùs exponere, ſatiùs duximus

mus, quam vel Colloquium ea cauſa, quantumuis iuſtiſsima abrumpere, vel offenſioni vlteriori voculâ vllâ duriuſculâ materiam ſcientes relinquere. Ita iterum elimatam tertiò obtulimus, ſed & tertiò reiecti ſumus. Cumq; vel ſcripto, vel voce, quænam ergo mutari porrò aut tolli cuperent, deſignari nobis ſingula identidem peteremus, ne id quidem impetrare, in hanc vſq; diem potuimus. Interim verò declamationes nobis audiendæ fuerunt, accuſatorio fere ſtylo acuminatæ, cumq; reſponſum noſtro viciſsim nomine proponeretur, ad ſingulas ferè periodos interpellati ſatis iniquè obturbati fuimus, vt deinceps ſilentio iniurias eiuſmodi diſsimulare mallemus, quã apologijs in caſſum caſuris tempus pretioſiſsimũ terere. Tum verò à S. R. M. nouo inſtructionis ſupplemento quodam huc miſſo, noſtros quoq; ad S. R. M. ablegandi neceſsitas nobis impoſita eſt, à qua clementiſsimo & æquiore reſponſo impetrato, operas rurſum noſtras ad optatum Colloquij progreſſum obtulimus, cumq; de antitheſibus neſcio quibus expungendis potiſsimùm ageretur, vt ea nobis ſingillatim deſignarentur, iterum iterumq; rogauimus. Cùm enim Eccleſiarum noſtrarum ſententia in pleriſque his controuerſijs merè negatiua ſit, eoq; non niſi negatiuis propoſitionibus enunciari potuerit, eas antitheſeon nomine expungi iniquiſsimum, & primæ Actionis ſcopo à S. R. Maieſtate propoſito, alieniſsimum fore iudicauimus, ſed quid tandem poſtulato hoc noſtro impetrauimus, ſcripto quidem ſententiam ſuam exponere pars oppoſita renuebat, cæterùm collationem priuatam vltrò offerebat. Promptè igitur cupideq; nos quoq; eam acceptauimus, ſed quo certior dictis, aut dicendis fides eſſet, Notarios ex præſcripto Regio, ei quoq; collationi adeſſe debere cenſuimus. Id verò omninò denegatum eſt. Vt igitur Auguſtanæ ſaltem Partis Theologo vni, atq; alteri, ceu Auditoribus & teſtibus adeſſe liceret, optauimus; id quoq; recuſatum eſt. Hinc vt Illuſtriſſ. D. Legatus eius collationis Acta vel agenda

ſub-

ſubſignatione ſuâ firmare dignaretur, orauimus; ſed ne id quidem exorauimus. Demum, vt Auguſtanæ ſaltem, noſtræq; Partis, Illuſtriſſimi & Generoſi Præſides atq; Antiſtites, præſentiâ & ſubſcriptione ſuâ ei collationi fidem facerent, rogauimus; quibus vtriſq; ſuam quidem operam promptiſsimè offerentibus, tamen per DD. Collocutores Catholicos, ne hoc quidem ad Collationem inchoandam valuit, ſed deliberatione in biduum extracta, tandem die 28 Octobris ſcripto quodam memoriali, Illuſtriſſ: D. Præſidi, & Mag: D. Directori noſtro, prælecto: cuius tamen apographum illis, nobiſuè tradere recuſarunt, rationes ſuas, cur in reijcienda ex Protocollis expoſitione Fidei noſtræ perſiſterent, iterum declararunt. Enimuerò nos viciſsim reſponſo hoc noſtro, vtrinque ſic Acta vel ideo enarranda nobis, & in memoriam ipſis reuocanda cenſuimus, vt aut ipſi iudicent, aut indigenas pariter, & exteros, ſi quando iſta examinarint, totũ imo Orbem Chriſtianũ, & ſeram olim poſteritatem, hinc agnituram tandem, & iudicaturã cogitent, an iſte procedendi Modus, in præſenti Colloquio hactenus obſeruatus, dici mereatur Charitatiuus. Interea Charitatis & veritatis intereſſe credimus, vt quæ ex dicto memoriali memoria ſuggeſsit, ſine reſponſo Charitatiuo non dimittamus.

Imprimis de titulo Catholico ſibi adempto nobis vindicato queſti ſunt. Nos verò ſicut ipſis quos diſcriminis cauſa Romano Catholicos, vt in præliminaribus conuenerat diximus ſcripto illo noſtro, cùm ademptum eum non iuimus, ita nobis ille, vt eripiatur, niſi proprio nos ore Acatholicos, vel etiam Hæreticos profiteri velimus, pati nequaquam poſſumus. Sed vt ipſos in ijs doctrinæ capitibus, in quibus nobiſcum conſentiunt, quæ ſanè, & plurima ſunt, & Momenti maximi, doctrinam verè Catholicam retinere non inuiti fatemur, eaq; ratione Catholicos etiam appellari non repugnamus, ita à nobis vllum fidei Catholicæ articulum impugnari pernegamus, eoq; niſi contrarium priùs euincatur, à Catho-

Digitized by Google

lici nominis communione, nullo iure, nullaué poſſeſsionis cuiuſdam præſcriptione excludi à quopiam poſſumus. Non enim ex tituli vſurpatione doctrinæ Eccleſiæ, ſed ex doctrina titulus æſtimari debet, hæc vtiq; , non ille, verè Catholicum, aut Hæreticum facit. Quod ipſi etiam ſtatim ſub initium Colloquij ſatis teſtatum fecimus, generali primitus fidei noſtræ profeſsione, quàm ne ipſi quidem verè Catholicam eſſe negare poterunt, oblata, cuius ſpecialiorem, poſtea in Theologicis hiſce controuerſijs declarationem, ipſiſmet poſtulantibus adiecimus, in quâ, ſi quidquam Catholicæ illi, quàm ſemel propoſuimus fidei contrarium oſtendi poterit, illud potiùs abijciendum nobis eſſet, quàm vel fides, vel nomen Catholicum deſerendum.

2. Porrò diſſenſum ab ipſis noſtrum nimis apertis propoſitionibus, nos profeſſos aiunt, quòd diſsidio potiùs firmando, quàm paci Eccleſiæ, quæ S. R. Maieſtatis ſcopus ſit, cuiuſq; ſtudium ipſi profeſsi ſumus, facere videatur. Atq; & ipſi Catholici, & inprimis S. R. M. non de dogmatibus vtrinq; extra omnium controuerſiam poſitis, ſed de omnibus, ac ſingulis doctrinæ controuerſæ capitibus, ſententiam noſtram ſimplicibus, & apertis verbis proponi iuſsit, totiuſq; primæ Actionis vnicum hunc ſcopum eſſe voluit, vt vnuſquiſq; doctus & indoctus, quid vnaquæq; Pars de ijs credat, vel nõ credat, & in quibus ſibi contradictoriè aduersẽtur, vno velut intuitu poſsit agnoſcere. Idq; nos etiam, tum veritati, tum paci, Eccleſiaſticæ conueniẽtiſsimũ eſſe iudicauimus. Nõ enim ritè ſanari poſſunt, aut coire vulnera, niſi probè prius detegantur, & depurentur. obſcuris vero, aut ambiguis propoſitionibus, ceu emplaſtris quibuſdam palliatiuis ſententias, vtriuſque partis inuoluere, quod aduerſa pars maluiſſe iam videtur, ab hoc certè ſcopo medium foret alieniſsimum varijs omnium partium calumnijs, & cauillis obnoxium, ideoq; maiorum deinceps litium, potiùs ſeminarium, quàm pacis remedium.

3. Mul-

Digitized by Google

3. Multa etiam in ſcripto noſtro ad irritandos animos, poſita conqueruntur, falſas imputationes, quas iam ipſi in propoſitionũ ſuarum præambulo remouerint nihilominus repoſitas, Concilij Tridentini anathemata ad odium ſubinde repetita. Nos verò niſi fortè ipſa doctrina noſtra, quam diſsimulare nefas erat, eos irritet, animo irritandi nihil poſuiſſe ſanctè profitemur, ſi quid autẽ tale verbis noſtris ineſſe, ſi quas etiam imputationes falsò ſibi repoſitas putant, eas vt disertè exprimant vnicè deſideramus, & petimus. Anathemata Tridentina quamuis in odium & execrationem noſtri vibrata, non tamẽ in odium ipſorum (abſit) ſed ad grauitatem & neceſsitatem controuerſiarum oſtendendam aliquando memorauimus; ne de minutijs minùs neceſſarijs agere videremur, quæ quidem ſi perſequi omnia fuiſſet animus, vel decuplo plura non quidem ad odium aliquod, ſed tamen ad tædium legentium recenſeri potuiſſent.

4. In primis ab Inſtructione S. R. M. nos receſsiſſe arguunt, quod non ſumma tantũ capita, ſed minutiſsima puncta attigerimus, non breues propoſitiones, ſed prolixũ tractatũ ſcripſerimus, ſolo capite de gratia, octo puncta cõplexi ſimus. Atqui ipſa S. R. M. de omnibus, & ſingulis controuerſijs ſententiam partium proponi voluit, idq́; cum nos diuiſim fieri mallemus, pars aduerſa coniunctim, vt fieret poſtulauit, quod certè in tanto controuerſiarum numero, ſine prolixitate aliqua fieri minimè potuit, nec minuta cenſenda ſunt ea, ſine quibus maxima conſtare non poſſunt, quæq́ue ſub anathemate Eccleſiæ credenda faciendaq́; proponi non ignoramus. Quod ſi minuta omnia perſequi libuiſſet duplo plura potuiſſent congeri. At nos breuitatem adeò ſectati ſumus vt nec verbũ facilè vllum fruſtra poſitũ vellemus. Cauimus ſanè, ne in re tanta dum breues eſſe ſtuduimns obſcuri fieremus, imò ſi ad res modo ipſas examinandas progredi Pars aduerſa voluiſſet, ſenſiſſet profectò noſtram qualemcunque prolixitatem, breuitati in tractatione

reli-

Digitized by Google

reliqua maximè ſeruituram, ipſorum verò plurimis omiſsis pleriſque obſcurè propoſitis inuolutam breuitatem, prolixioribus deinceps diſceptationibus, & euolutionibus materiam, moramq; non neceſſariam præbituram. Locus de Gratia, non vnum ſaltem, ſed complures grauiſsimos Fidei Chriſtianæ articulos, de Redemptione, vocatione, iuſtificatione, ſatisfactione, glorificatione, bonis operibus, eorumq; præmijs, de electione, deniq; & reprobatione continet, quorum nullum vtiq; præteriri decuit, quoſq; ſingulos, vnicâ tantùm propoſitione affirmatiua proponere ſatis habuimus, vt nimiæ citiùs breuitatis, quàm prolixitatis, hic argui meritò poſsimus, quin ſi maximè prolixitate aliquâ peccatum non nihil foret, an Charitatis erat, totum ideo ſcriptum Protocollis eijcere: quibus tam multa alia magis prolixa, minùſq; neceſſaria inſeruntur.

5. Sed & multa poſuiſſe arguimur, quæ vel planè non ſunt controuerſa, vel non cum tota Eccleſia Romana, ſed tantùm cum quibuſdam Doctoribus, vel corollaria tantùm, vel probationes non ad primam, ſed ad ſecundam actionem pertinentes; quin etiã doctrinæ Catholicæ explicandæ partes nobis ita vſurpaſſe, vt tenebras ei offuderimus, inuidiæ eam obiecerimus aut amarè carpere & ſugillare viſi ſimus. At nos ſi quid fortè non controuerſum attigimus, id ad remouendas à nobis falſas imputationes vnicè fecimus. Si quid cum quibuſdã tantùm Doctoribus controuerſum, id DD. Collocutores vno verbo à ſe remouere, ſuumq; ab illis diſſenſum profiteri poterunt, ita propiori iam inter nos conſenſui optatum fiet initium. Corollaria & probationes nullas adiecisse meminimus, niſi quæ & ipſæ controuerſiam ex priori pullulantem conſtituunt, aut ad dilucidiorem ſimul doctrinæ explicationem & liquidationem facere videbantur. Nec verò doctrinam ipſorum explicandi, ſed noſtram ſaltem ſiue negatiuam, ſiue affirmatiuam ſententiam ſimpliciſsimè proponendi partes nobis

Ee ſumpſi-

Digitized by Google

ſumpſimus, ſi quid obſcuritati aut inuidiæ obnoxium videretur, is vtiq; declarationis propoſitæ ſcopus fuit, vt talia deinceps depurentur, liquidentur, non vt propterea declaratio ipſa ex Actis & Protocollis eijciatur, ſi quod verbum amarum, quod carpendi, aut ſugillandi ſpeciem habeat, nobis exciderit, id & in prima recognitione ab ipſis indicari debuit, & vel nunc tandem vt indicetur petimus, nobis enim quamuis ſedulò quærentibus nihil tale occurrit.

6. Deniq; ipſum etiam agendi ordinem à S. R. M. prudentiſſimè præſcriptum à nobis confuſum arguunt, & diſtinctiſsimas primæ Actionis partes, videlicet propoſitiones, elucidationes, depurationes, & antitheſes in vnum congeſtas. At nos partes illas, vt diſtinctæ ſint, non tamen vel ex natura rei, vel ex S. R. M. voluntate, ita diſiunctas & ſeparatas eſſe cenſemus, vt in ipſis propoſitionibus elucidationi & depurationi, atq; etiam antitheſibus, ſeu vero ſtatui controuerſiæ conſtituendo, viam parare nefas ſit, imò cùm non diuerſæ actiones, ſed primæ actionis tantùm partes dicantur, eas quantùm fieri poteſt, coniungendas, quin etiam in præcipua laude ponendum ducimus, ſi quæ Pars ſuas propoſitiones ita formarit, vt ſimul elucidationi, & depurationi, atq; antitheſibus deinceps ſeligendis inſeruiant: quam etiam laudem S. R. M. eò ipſo reſcripto nuper haud obſcurè nobis tribuiſſe videtur, quam etiā ipſimet dum hoc in nobis accuſandum arbitrantur, confirmant; ſi verò ſcrupulosâ nimis curioſitate particulatim illæ diſcerperentur, haud ſecus ac rami ex ſtipite auulſi, genuinam certè atq; integram doctrinæ ceu arboris ſpeciem lectori minimè exhiberent.

Atq; hæc quidem ea ſunt, quantum meminiſſe poſſumus, ob quæ doctrinæ noſtræ declarationem protocollis eijciendam DD. Catholici nouiſsimò illo memoriali ſuo manifeſtarunt. Addiderunt ab ea ſe ſententia minimè receſſuros, ne vel vilipenſæ S. R. M. vel leuitatis, & inconſtantiæ, aut inobedientiæ, erga Illuſtriſſ. Archiepiſcopum argui poſsint. At nos viciſsim, ſicut à vilipendio

S. R.

Digitized by Google

S. R. M. nos longiſsimè abeſſe omnibus humillimi obſequij ſtudijs hactenus per Dei gratiam oſtendimus; ita ſi fidei noſtræ profeſſionem, quam ex Dei verbo hauſimus, hominum gratiâ, aut metu, in realibus mutaremus, non tantùm ſummæ inter homines leuitatis, & inconſtantiæ infamiam, ſed etiam vilipendij, & inobedientiæ erga Maieſtatem Diuinam crimen grauiſsimum incurreremus. Quod vtrumq; pro charitate ſua Chriſtiana, non à nobis minùs, quàm à ſeipſis abeſſe velle DD. Catholicos perſuaſi ſumus. Nec verò noſtrarum Partium Collocutor talem mutationem, vel ſuo, vel noſtro nomine, vt quidem ipſi memorant pollicitus eſt, ſed quod de ipſius oratione Protocolla teſtantur, quodq; noſtræ etiam declarationis clauſula, ipſi nobis reſeruatum voluimus, ſi quid obſcuriùs incommodiuſué dictum videri poſsit, id porrò à nobis, & quidem quod S. R. M. inſtructio expreſſè iubet, ſcripto aliquo nouo, aût viuâ voce, pleniùs ac dilucidiùs declarandum recepit. Quod verbum noſtrum ea ipſa quàm DD. Catholici offerre nuper videbantur collatione priuata, eliberare parati, nos quidem eramus, atq; etiam nunc ſumus. Sed hic vereri ſe obtendunt, ne verba ipſorum per Notarios captare velimus. Quâ quidem ratione omnem deinceps colloquij ſpem præcidere videntur. Nam ſi captioſum putant, per Notarios dicta excipi, quas non captiones ingenua noſtra ſimplicitas metuat, ſi Notarij Actionibus partium, quod S. R. Maieſtatis Inſtructio iubet, intereſſe prohibeantur. Sed finem hic facimus, eo rationibus illis eliminandæ declarationi noſtræ, ſine iuſta ratione prætenſis, eaſdem ſolùm rationes hoc ſcripto opponimus, quas coram ex nobis, noſtriſq; ſæpè iã audierunt.

1. Nimirum cum doctrinæ ipſorum profeſsio, quàmuis nos in ea, ſi non plura certè non pauciora, quàm ipſi in noſtra, deſideremus Protocollis nihilominus inſerenda ſit, nihil nobis videri iniquius, nihil Inſtructioni Regiæ & reſponſo Orlenſi, aut pactis conuentis præliminaribus repugnantius, quam ſi quod ipſis conceditur nobis negetur.

2. Tum autem poſtquam noſtram publicè iam prælectam eſſe, non hic modò omnibus conſtat, ſed ad cæteros quoq; fama loquax longè lateq; diſſeminauit, imò poſtquam Sacratiſſ. Regiæ Maieſtatis manibus oblata iam eſt, ac veluti Protocollo omnium nobiliſsimo inſerta, quid inconſultius fingi poſſet, quàm ex conuentus huius Protocollis proprijs eam reijci? An non tota Protocollorum noſtrorum fides, eo ipſo labefactabitur? an non alia etiam acta compluria ſimiliter omiſſa eſſe cætera ſecus quam Acta fuerint narrata, quiuis meritò ſuſpicabitur?

3. Quid verò abſurdiùs, quàm alia quidem minùs neceſſaria, ac ferè parerga, vt declamationes, proteſtationes, ſatisfactiones, quas pleraſq; vel nunquam propoſitas, vel minimè conſignatas præſtitiſſet, Protocollis ſollicitè inſeri, illud verò, in quo totius negotij cardo vertitur, ipſas nempè doctrinæ cuiuſq; partis expoſitiones, quarum cauſa maximè conuentus hic inſtitutus eſt, ex ijs eliminari.

4. Quod ſi in prima actione nudam ſententiæ noſtræ, vtpotè ipſis aduerſæ, Profeſsionem in Protocollis ferre nequeant, & quis nobis fidem faciat, in ſecunda actione ſuæ ſententiæ oppugnationem, noſtræ defenſionem, quæ grauiori vtiq; offenſioni erit obnoxia, toleraturos? Quid igitur in caſſum porrò hoc Colloquio laboremus, ſi à tabulis publicis noſtra omnia prætextu offenſionis Catholicorum, aut obedientiæ Prælatorum arcebuntur, & hâc veluti baſi totius reliquæ actionis remotâ, cui tandē fundamento defenſionem deinceps, aut refutationem noſtrā inædificabimus?

5. An non autem omnis hoc pacto Colloquij huius fructus tam ipſis quàm nobis intercidet, ſi quod vtriq; in propoſitionibus noſtris maximè ſpectaſſe videmur, vt abſterſis falſis imputationibus, neutra Pars alteri aliena ab ipſius mente dogmata deinceps affingeret, huius quoq; Profeſsionis mutuæ, & atteſtationis monumentum ex Actis publicis eradatur?

6. Quo

6. Quo verò pacto ad vnionem Romanæ Eccleſiæ, quod ſibi quidem maximè in votis eſſe ipſimet profitentur, nos ſperent poſſe reduci, ſi ne ſententiam quidem noſtram, & ſeceſsionis cauſas æquis animis, vel ipſi audire ſuſtinent, vel aliorum conſiderationi exponere? Quæ tandem via ſupererit quâ errores illos, quorum nos accuſant, vel nobis, qui iam hic adſumus vel cæteris fratribus, atq; Eccleſijs noſtris poſsint eximere, an non imò eo ipſo vel maximè in ijs nos confirmabunt?

7. Quod ſi etiam charitatis aliqua, vel ſaltem æquitatis cura eſt, quid æquiùs, quidué charitati Chriſtianæ conuenientiùs, quã vt ijſdem Protocollis, quibus accuſatio confeſsionis noſtræ, atq; reiectio toti Orbi Chriſtiano exponetur? ipſa etiã confeſsio (liceat enim eam cũ vulgo iam ſic appellare) velut rea eidẽ tribunali ſiſtatur, vt quo iure quaué iniuria, accuſata reiectaué ſit iudicari poſsit.

8. Deniq; ſi cauſæ ſuæ præiudicium aliquod metuunt, ecquod grauiùs ipſimet aduerſus ſeipſos præiudicium acta iſta legentium, vel audientium animis inijcere poterunt? an pleriq; ſuſpicabuntur, plurimum obeſſe eam confeſsionis noſtræ declarationem: quam ex Protocollis tanto molimine eiectum eunt, quâ tamen ratione, quid tandem aliud lucrabuntur, quàm quod pleriq; vt ſunt homines in vetita procliuiores, tanto auidiùs ad eam noſcendam aliunde rapientur. Simulq; hoc ipſum noſtræ quidem de cauſæ bonitate fiduciæ, ipſorum verò (ignoſcant ſincere monentibus) diffidẽtiæ cuiuſdam luculentum indicium eſſe videbitur. Hæc aliaq; huius generis, quæ iam repetere omnia ſuperſedemus, qui propè conſiderarit, agnoſcet profectò ipſos, ſi in hac ſententia perſiſtant, malè quidem cauſæ noſtræ, peius verò charitatiuo huic colloquio, at ſibi ipſis ſuæq, cauſæ minimè omnium conſulere.

Cæterùm, ne tamen vel ſic illa detrectandi porrò Colloquij in nobis reſidere queat ſuſpicio, ecce nos ſepoſitâ pauliſper illâ de propoſitionibus in Protocolla inſerendis quæſtione, iterum DD. Ca-

Digitized by Google

tholicos ad cenſuram ipſorum in realibus doctrinæ à nobis propoſitæ capitibus ſingulis audiendam, ac viciſsim propoſitionum ab ipſis oblatarum, (quas abſit vt ſilentio noſtro approbauerimus) conſiderationes noſtras ſeu ſcripto, ſeu voce proponendas, atque ita vtrumq; in liquidatione doctrinæ progrediendum nos ipſos offerimus. Si annuant in nobis nulla erit mora, quin ad inchoandam illam collationem, ſiue priuatam, ſiue publicam, vel hac ipſâ horâ (ſi ita videbitur) progrediamur; ſi cunctentur, aut abnuant id ſaltem, quâ par eſt obſeruantiâ ipſos rogatos volumus, vt culpam, vel impediti, vel diſſoluti Colloquij huius, nobis deinceps imputare deſinant. Quòd declaratione tantùm Fidei noſtræ Protocollis inſerta, ſine vlla vlteriori liquidatione abitum nos paraſſe, arguunt, nominis Catholici poſſeſsionem ſibi tam operoſè aſſerãt, nobiſq; adimant, omnium iurium confuſionem, rerum perturbationem inde arceſſant, aut Fidei noſtræ expoſitionem Principibus, vel Principalibus noſtris, ipſis ita iubentibus, quod & per conditiones præliminares, perq; reſponſum Regium, ac Conuentum Orleñ licuit, à quibuſdam noſtrum exhibitam in crimine ponant, vel eiuſdem editionem, ſi quæ vſquam paratur, (cuius nos quidem minimè conſcij ſumus) nobis imputent, vel deniq; ipſis Protocollis huius Colloquij à Cathalogo librorum prohibitorum, per excluſionẽ doctrinæ noſtræ tam ſollicitè caueant, & quædã alia nouiſsimè huic declarationi admiſceant, illis refellendis, poteramus nos quidem ſermonem non minùs prolixum opponere, & crimen illud neglectæ Inſtructionis Regiæ ita à nobis remouere, vt in ipſos meliori iure retorqueretur, quod debitum niſi porrò nos arguere deſinant, à nobis quamuis inuitis, non ſine fœnore tandem exoluendum erit. Sed nunc quidem eò abſtinere, & tria illa media ab ipſis propoſita, paucis etiam attingere maluimus. Ea verò ita comparata eſſe videmus, vt nequaquam nobis acceptanda eſſe cenſeamus, quia & ab Inſtructione Regia aliena, & præiu-

præiudicijs varijs obnoxia, & multis difficultatibus inuoluta, & neutri Parti vtilia, aut honorifica fore metuimus. Aliena quidē, quia S. R. M. non generales propoſitiones, ſed omnium & ſingularum controuerſiarum explicationes à nobis requirit. Præiudicijs verò expoſita, dum reiectis doctrinæ totius declarationibus, earum loco generales tantùm propoſitiones, & quidem ad præſcriptam ab ipſis normam conſcribi, & Protocollis inſeri volunt, vel cum duobus ſaltem tribuſuè Theologis, etſi integræ Partes conſentire nolint, talem collationem inſtitui. Difficilia autem, quia non magis ſperandum eſt propoſitiones de controuerſijs generales, quæ ipſis ſatisfaciant, quam declarationem antea ſpecialē à nobis conſcribi poſſe, nec minùs imò longè plùs temporis ijs primo formandis, deinde recognoſcendis, poſtmodùm declarandis, demùm depurandis, & penitùs liquidandis impendendū foret. Inutilia verò, quia per anguſtias reliqui temporis vix rectè inchoari nouum iſtum controuerſias liquidandi modum, nedum per omnes, aut ſaltem præcipuas percurri poſſe præuidemus. Vnum verò aliquem vel minimum, vt ipſi velle videntur, articulum, ita pertractari, perexiguum foret Colloquij huius tanto conatu inſtituti, tantoq; ſumptuum & temporis diſpendio, hucuſq; continuati pretium, varijs imo omnium toto Chriſtiano Orbe partium calumnijs, cauillis, ludibrijs, obnoxium. His igitur medijs bona ipſorū cum pace ſepoſitis, vt tamen omnes Colloquio huic porrò etiam continuando nos paratiſſimos eſſe agnoſcant, noſtra ex parte tria alia & conueniētiora, vt nobis videtur, & vtiliora, & faciliora, & æquiora, & Regiæ menti magis conſentanea proponimus.

Primum illud quod iam ſuperius attigimus, vt ipſi declarationis noſtræ recognitionem ſpecialem, per ſingula & præcipua doctrinæ capita conſiderandam nobis proponant, ac viciſſim ipſi noſtras propoſitionum ab ipſis oblatarum conſiderationes, à nobis alternatis vicibus acceptent, atq; ita vtrinq; in pleniori declaratio-

tio-

tione, & liquidatione doctrinæ pergamus. Alterum ſi forte propoſitiones noſtras, vt hactenus ita deinceps ſuâ conſideratione nõ dignentur, ſaltem in ſuarum popoſitionum ad recognitionem à nobis offerendam (quæ iam parata eſt) declaratione, depuratione, ac liquidatione nobiſcum progrediantur. Sin autem ne hoc quidem medium placeat, Tertium, & ex noſtra quidem parte vltimum illud proponimus, vt ſelecti vtrinq; Theologi, ſeni aut ſepteni præſentibus vtriuſq; Partis Præſidibus ac Directoribus, familiari Colloquio, in loco tamen publico, vtraſq; & noſtras, & ipſorum propoſitiones, inter ſe ita conferant, vt ex illis communi deliberatione, atq; conſenſu propoſitiones certas excerpant, formentq; ex quibus quatenus vtræq; Partes inter ſe conſentiunt, quatenus verò, & in quibus diſſentiunt, cuiuis docto, & indocto manifeſtum fiat, vt quæ propoſitiones illas à delectis illis Collocutoribus, ita formatas, & per Notarios conſignatas, per ſingula capita, ſuæ quiſq; parti conſiderandas, porrò examinandaſq; proponat, atq; ita ex omnium tandem conſenſu tota liquidatio dogmatum controuerſorum perficiatur, ac tum demum ad eorundem quæ controuerſa manebunt defenſionem, aut refutationem procedatur. Hac viâ ſi pergamus eius, quod reſtat quamuis exigui temporis ſpatio modo animis vtrinq; ſolius veritatis, & charitatis cupidis conueniatur plus vtilis operæ, quàm duobus hactenus, aut tribus menſibus, vtrinq; nos præſtituros confidimus. Huic autem negotio inchoando, & ſi nos quidem, vel hac ipſa hora parati ſimus, ſi tamen deliberandi aliquod ſpatium, ſibi concedi poſtulant, diem craſtinum deſignari optamus.

Subiunxit Periluſtris & Adm. R. D. Archid. Vilnen. Proteſtati ſumus ab initio, quod hoc ſcriptum in Protocollum admitti non poſsit ob ſequentes rationes. 1. Quia totum illud ſcriptum quod antea lectum fuerat contra noſtras rationes, inſertum eſt, de quo tamen conuentum fuit omnium conſenſu, ne

exta-

Digitized by Google

extaret in Protocollo, ex ea potiſsimum ratione ne ſcripris inutilibus pretioſiſsimum tempus tereremus? 2. Quia in illo imputantur nobis quæ nunquam ſunt acta, aut non eo modo acta. 3. Quia hoc ſcriptum magis ad diſſenſionem, quàm ad finem, quem S. R. M. intendit, facit, eò quod multa inſunt offenſiua. 4. Quia expectauimus reſponſum à Theologis Reformatis, nullum autem habemus, niſi ab Illuſtriſſ. D. Caſtellano Chelmeñ: proteſtamur proinde, & rogamus, vt deſcendant nobiſcum iuxta Inſtructionem S. R. M. in arenam.

Tum Illuſtriſſ. D. Caſtellan. Chelmen. Replico *(inquit)* ad verba Adm̃ R. D. Archidiaconi Vilnen. nullam rationem eſſe ſufficientem, quâ hoc quod iam declaraui nomine totius partis Reformatæ, actis excludi poſſe, aut debere probat. Nã primo etiamſi conſenſũ fuit, ne memoriale prius prælectum actis inſereretur, attamen cum in prælecto à R. P. Schönhof ſcripto eædem, quæ nos oppugnant, rationes aut directè aut indirectè, ſunt allatæ, ideo neceſſe fuit, ad vtrumq; illud ſcriptum, vno ſolo, lucrandi temporis gratiâ, reſpondere. Quoad 2. Realitas eorum, quæ dicta ſunt, magis à parte Reformatæ Religionis Profeſſorum ſtabit, quod acta ipſa, & Protocolla Orbi demonſtrabunt. Quoad 3. An offenſiua aliqua ſcripto huic inſint, Orbis iudicabit. Quoad 4. Quod non Theologus nomine partis totius Reformatæ reſponderit, ideo factum, quia metus fuit ne per interpellationẽ, aut verba aliqua à fine charitatiui colloquij valde aliena, Theologo reſpondenti maior crearetur acerbitas, & negotium hoc eo magis impediretur: ſi verò à proteſtatione non receſſerint DD. Collocutores Partis Catholicæ, viciſsim reproteſtatur Pars Reformata, ſe etiam refragari vt prælecta à DD. Catholicis, quæcunq; illa nouiter ſunt illata, inſerantur.

 Tan-

Tandem Illuſtris & Adm. R. D. Zawiſſa Archidiaconus Vilnen. Referemus, ait ad Partes. Seſſio ſoluta & in diem ſequentem indicta.

SESSIO XXXIII.

Septimâ Nouembris.

In præſentia Illuſtriſſimi D. Legati & DD. Deputatorum, petierunt DD. Auguſtani vt reſponsũ ipſorũ ad proximã declarationẽ DD. Catholicorum, à R. P. Schönhof 2. Nouemb. propoſitam prælegeretur. Quod cùm DD. Catholici certas ob cauſas non admitterent, auditâ horâ duodecimâ, ſoluta eſt Seſſio.

Die Octauâ Nouembris.

Eadem controuerſia agitata fuit, ſed nec dum componi potuit.

SESSIO XXXIV.

Die Nonâ Nouembris.

Cum Illuſtriſſimus D Legatus, ſuo & Catholicæ Partis nomine, ſcriptum quo DD. Auguſtani, DD. Catholicis reſpondere volebant, admittere & actis inferri nollet, DD. Auguſtani contra id Manifeſtationem eo, qui ſequitur, modo fecerunt.

Quandoquidem Auguſtanæ Confeſſionis Profeſſoribus nomine tenus compellatis per vltimam Declarationem Dominorum Catholicorum, die ſecunda Nouembris præſentibus Illuſtriſſimis DD. Legato & partium Præſidibus prolatam, neceſſitas impoſita eſt reſpondendi, ad quod reſponſum reddendum iam per ſextiduum parati fuerunt, admittiq; conſtanter petierunt: E contra DD. Catholici non obſtante, quod ipſorum ſermo & Partis Reformatæ reſponſum, ſine vlla Præſidũ cenſura eodem loco iam audita ſint, reſponſum tamen Auguſtanorum, citra

tra

tra prauiam S. R. Maieſtatis cenſuram admittere, mediaq́ ad progreſſum Colloquij facientia ſaltem audire noluerunt. Nos autem euidentē illam inæqualitatem inter partes & futuram temporis iacturam attendentes, antequam cenſura à S. R. Maieſtate poſſit obtineri, mediū hoc ab Illuſtriſſimo D. Legato propoſitum, moram huic negotio iniecturum & quod ſupereſt ad metam Colloquio poſitam exiguum temporis ſpatium planè cōſumpturū eſſe prauideamus, ideo manifeſtamus non poſſe nos permittere, vt inferiores & viliores habeamur, quam Pars Catholica fuit in proponendo, & Reformata in reſpōdēdo; ſed petere inſtāter & inſtantiſſimè, vt eadem facultas nobis fiat proponendi nobis noſtrum reſponſum, quæ ſcripta & data eſt Parti Catholicæ & Reformatæ. Quodſi hoc non concedatur, manifeſtamus porrò, nos neq́ moræ huic ſancto negotio iniectæ & inijciendæ, neq́ diſpendij ſi quod inde eſt oriturum reos eſſe. Reſeruare autem nobis per expreſſum facultatem competentem proponendi ea in publico quæ hactenus, fuerunt repulſa; & nequaquam renunciare Actioni publicæ magno cum dolore noſtro hactenus impeditæ, ſed paratos eſſe vel hac die deſcendere, ad liquidationem, ſiue etiam ad collationem de Vero & Falſo, poſtquam honeſtiſſimis petitis noſtris ipſiq́ æquitati, ex iure naturæ & gentium, maximè autem ex vigore Inuitationis & Inſtructionis Regiæ nobis debitè fuerit ſatisfactum.

Quâ Manifeſtatione Audita, Pars Catholica ad ſuos referendi & viciſſim reſpondendi poteſtatem ſibi reſeruauit.

Decimâ Nouembris.

Propter *vrgentiſſimas occupationes Illuſtriſſ. D. Legati, & abitum ex Vrbe, delata eſt Seſſio & in diem Lunæ, proximæ ſequentis hebdomadæ indicta.*

SESSIO XXXV.

Decima octauâ Nouembris.

 In

ſumpſimus, ſi quid obſcuritati aut inuidiæ obnoxium videretur, is vtiq; declarationis propoſitæ ſcopus fuit, vt talia deinceps depurentur, liquidentur, non vt propterea declaratio ipſa ex Actis & Protocollis eijciatur, ſi quod verbum amarum, quod carpendi, aut ſugillandi ſpeciem habeat, nobis exciderit, id & in prima recognitione ab ipſis indicari debuit, & vel nunc tandem vt indicetur petimus, nobis enim quamuis ſedulò quærentibus nihil tale occurrit.

6. Deniq; ipſum etiam agendi ordinem à S. R. M. prudentiſſimè præſcriptum à nobis confuſum arguunt, & diſtinctiſsimas primæ Actionis partes, videlicet propoſitiones, elucidationes, depurationes, & antitheſes in vnum cògeſtas. At nos partes illas, vt diſtinctæ ſint, non tamen vel ex natura rei, vel ex S. R. M. voluntate, ita diſiunctas & ſeparatas eſſe cenſemus, vt in ipſis propoſitionibus elucidationi & depurationi, atq; etiam antitheſibus, ſeu vero ſtatui controuerſiæ conſtituendo, viam parare nefas ſit, imò cùm non diuerſæ actiones, ſed primæ actionis tantùm partes dicantur, eas quantùm fieri poteſt, coniungendas, quin etiam in præcipua laude ponendum ducimus, ſi quæ Pars ſuas propoſitiones ita formarit, vt ſimul elucidationi, & depurationi, atq; antitheſibus deinceps ſeligendis inſeruiant: quam etiam laudem S. R. M. eò ipſo reſcripto nuper haud obſcurè nobis tribuiſſe videtur, quam etiã ipſimet dum hoc in nobis accuſandum arbitrantur, confirmant; ſi verò ſcrupulosâ nimis curioſitate particulatim illæ diſcerperentur, haud ſecus ac rami ex ſtipite auulſi, genuinam certè atq; integram doctrinæ ceu arboris ſpeciem lectori minimè exhiberent.

Atq; hæc quidem ea ſunt, quantum meminiſſe poſſumus, ob quæ doctrinæ noſtræ declarationem protocollis eijciendam DD. Catholici nouiſsimò illo memoriali ſuo manifeſtarunt. Addiderunt ab ea ſe ſententia minimè receſſuros, ne vel vilipenſæ S. R. M. vel leuitatis, & inconſtantiæ, aut inobedientiæ, erga Illuſtriſſ. Archiepiſcopum argui poſsint. At nos viciſsim, ſicut à vilipendio

S. R.

Digitized by Google

S. R. M. nos longiſsimè abeſſe omnibus humillimi obſequij ſtudijs hactenus per Dei gratiam oſtendimus; ita ſi fidei noſtræ profeſſionem, quam ex Dei verbo hauſimus, hominum gratiâ, aut metu, in realibus mutaremus, non tantùm ſummæ inter homines leuitatis, & inconſtantiæ infamiam, ſed etiam vilipendij, & inobedientiæ erga Maieſtatem Diuinam crimen grauiſsimum incurreremus. Quod vtrumq; pro charitate ſua Chriſtiana, non à nobis minùs, quàm à ſeipſis abeſſe velle DD. Catholicos perſuaſi ſumus. Nec verò noſtrarum Partium Collocutor talem mutationem, vel ſuo, vel noſtro nomine, vt quidem ipſi memorant pollicitus eſt, ſed quod de ipſius oratione Protocolla teſtantur, quodq; noſtræ etiam declarationis clauſula, ipſi nobis reſeruatum voluimus, ſi quid obſcuriùs incommodiuſué dictum videri poſsit, id porrò à nobis, & quidem quod S. R. M. inſtructio expreſſè iubet, ſcripto aliquo nouo, aut viuâ voce, pleniùs ac dilucidiùs declarandum recepit. Quod verbum noſtrum ea ipſa quàm DD. Catholici offerre nuper videbantur collatione priuata, eliberare parati, nos quidem eramus, atq; etiam nunc ſumus. Sed hic vereri ſe obtendunt, ne verba ipſorum per Notarios captare velimus. Quâ quidem ratione omnem deinceps colloquij ſpem præcidere videntur. Nam ſi captioſum putant, per Notarios dicta excipi, quas non captiones ingenua noſtra ſimplicitas metuat, ſi Notarij Actionibus partium, quod S. R. Maieſtatis Inſtructio iubet, intereſſe prohibeantur. Sed finem hic facimus, eo rationibus illis eliminandæ declarationi noſtræ, ſine iuſta ratione prætenſis, eaſdem ſolùm rationes hoc ſcripto opponimus, quas coram ex nobis, noſtriſq; ſæpè iã audierunt.

1. Nimirum cum doctrinæ ipſorum profeſsio, quàmuis nos in ea, ſi non plura certè non pauciora, quàm ipſi in noſtra, deſideremus Protocollis nihilominus inſerenda ſit, nihil nobis videri iniquius, nihil Inſtructioni Regiæ & reſponſo Orlenſi, aut pactis conuentis præliminaribus repugnantius, quam ſi quod ipſis conceditur nobis negetur.

 2. Tum

2. Tum autem poſtquam noſtram publicè iam prælectam eſſe, non hîc modò omnibus conſtat, ſed ad cæteros quoq; fama loquax longè lateq; diſſeminauit, imò poſtquam Sacratiſſ. Regiæ Maieſtatis manibus oblata iam eſt, ac veluti Protocollo omnium nobiliſsimo inſerta, quid inconſultius fingi poſſet, quàm ex conuentus huius Protocollis proprijs eam reijci? An non tota Protocollorum noſtrorum fides, eo ipſo labefactabitur? an non alia etiam acta compluria ſimiliter omiſſa eſſe cætera ſecus quam Acta fuerint narrata, quiuis meritò ſuſpicabitur?

3. Quid verò abſurdiùs, quàm alia quidem minùs neceſſaria, ac ferè parerga, vt declamationes, proteſtationes, ſatisfactiones, quas pleraſq; vel nunquam propoſitas, vel minimè conſignatas præſtitiſſet, Protocollis ſollicitè inſeri, illud verò, in quo totius negotij cardo vertitur, ipſas nempè doctrinæ cuiuſq; partis expoſitiones, quarum cauſa maximè conuentus hic inſtitutus eſt, ex ijs eliminari.

4. Quod ſi in prima actione nudam ſententiæ noſtræ, vtpotè ipſis aduerſæ, Profeſsionem in Protocollis ferre nequeant, & quis nobis fidem faciat, in ſecunda actione ſuæ ſententiæ oppugnationem, noſtræ defenſionem, quæ grauiori vtiq; offenſioni erit obnoxia, toleraturos? Quid igitur in caſſum porrò hoc Colloquio laboremus, ſi à tabulis publicis noſtra omnia prætextu offenſionis Catholicorum, aut obedientiæ Prælatorum arcebuntur, & hâc veluti baſi totius reliquæ actionis remotâ, cui tandē fundamento defenſionem deinceps, aut refutationem noſtrā inædificabimus?

5. An non autem omnis hoc pacto Colloquij huius fructus tam ipſis quàm nobis intercidet, ſi quod vtriq; in propoſitionibus noſtris maximè ſpectaſſe videmur, vt abſterſis falſis imputationibus, neutra Pars alteri aliena ab ipſius mente dogmata deinceps affingeret, huius quoq; Profeſsionis mutuæ, & atteſtationis monumentum ex Actis publicis eradatur?

6. Quo

6. Quo verò pacto ad vnionem Romanæ Eccleſiæ, quod ſibi quidem maximè in votis eſſe ipſimet profitentur, nos ſperent poſſe reduci, ſi ne ſententiam quidem noſtram, & receſsionis cauſas æquis animis, vel ipſi audire ſuſtinent, vel aliorum conſiderationi exponere? Quæ tandem via ſupererit quâ errores illos, quorum nos accuſant, vel nobis, qui iam hic adſumus vel cæteris fratribus, atq; Eccleſijs noſtris poſsint eximere, an non imò eo ipſo vel maximè in ijs nos confirmabunt?

7. Quod ſi etiam charitatis aliqua, vel ſaltem æquitatis cura eſt, quid æquiùs, quidué charitati Chriſtianæ conuenientiùs, quã vt ijſdem Protocollis, quibus accuſatio confeſsionis noſtræ, atq; reiectio toti Orbi Chriſtiano exponetur? ipſa etiã confeſsio (liceat enim eam cũ vulgo iam ſic appellare) velut rea eidẽ tribunali ſiſtatur, vt quo iure quaué iniuria, accuſata reiectaué ſit iudicari poſsit.

8. Deniq; ſi cauſæ ſuæ præiudicium aliquod metuunt, ecquod grauiùs ipſimet aduerſus ſeipſos præiudicium acta illa legentium, vel audientium animis inijcere poterunt? an pleriq; ſuſpicabuntur, plurimum obeſſe eam confeſsionis noſtræ declarationem: quam ex Protocollis tanto molimine eiectum eunt, quâ tamen ratione, quid tandem aliud lucrabuntur, quàm quod pleriq; vt ſunt homines in vetita procliuiores, tanto auidiùs ad eam noſcendam aliunde rapientur. Simulq; hoc ipſum noſtræ quidem de cauſæ bonitate fiduciæ, ipſorum verò (ignoſcant ſincere monentibus) diffidẽtiæ cuiuſdam luculentum indicium eſſe videbitur. Hæc aliaq; huius generis, quæ iam repetere omnia ſuperſedemus, qui propè conſiderarit, agnoſcet profectò ipſos, ſi in hac ſententia perſiſtant, malè quidem cauſæ noſtræ, peius verò charitatiuo huic colloquio, atq; ſibi ipſis ſuæq; cauſæ minimè omnium conſulere.

Cæterùm, ne tamen vel ſic illa detrectandi porrò Colloquij in nobis reſidere queat ſuſpicio, ecce nos ſepoſitâ pauliſper illâ de propoſitionibus in Protocolla inſerendis quæſtione, iterum DD. Ca-

tholicos ad cenſuram ipſorum in realibus doctrinæ à nobis propoſitæ capitibus ſingulis audiendam, ac viciſsim propoſitionum ab ipſis oblatarum, (quas abſit vt ſilentio noſtro approbauerimus) conſiderationes noſtras ſeu ſcripto, ſeu voce proponendas, atque ita vtrumq; in liquidatione doctrinæ progrediendum nos ipſos offerimus. Si annuant in nobis nulla erit mora, quin ad inchoandam illam collationem, ſiue priuatam, ſiue publicam, vel hac ipſâ horâ (ſi ita videbitur) progrediamur; ſi cunctentur, aut abnuant id ſaltem, quâ par eſt obſeruantiâ ipſos rogatos volumus, vt culpam, vel impediti, vel diſſoluti Colloquij huius, nobis deinceps imputare deſinant. Quòd declaratione tantùm Fidei noſtræ Protocollis inſerta, ſine vlla vlteriori liquidatione abitum nos paraſſe, arguunt, nominis Catholici poſſeſsionem ſibi tam operoſè aſſerãt, nobiſq; adimant, omnium iurium confuſionem, rerum perturbationem inde arceſſant, aut Fidei noſtræ expoſitionem Principibus, vel Principalibus noſtris, ipſis ita iubentibus, quod & per conditiones præliminares, perq; reſponſum Regium, ac Conuentum Orleſi licuit, à quibuſdam noſtrum exhibitam in crimine ponant, vel eiuſdem editionem, ſi quæ vſquam paratur, (cuius nos quidem minimè conſcij ſumus) nobis imputent, vel deniq; ipſis Protocollis huius Colloquij à Cathalogo librorum prohibitorum, per excluſionẽ doctrinæ noſtræ tam ſollicitè caueant, & quædã alia nouiſsimè huic declarationi admiſceant, illis refellendis, poteramus nos quidem ſermonem non minùs prolixum opponere, & crimen illud neglectæ Inſtructionis Regiæ ita à nobis remouere, vt in ipſos meliori iure retorqueretur, quod debitum niſi porrò nos arguere deſinant, à nobis quamuis inuitis, non ſine fœnore tandem exoluendum erit. Sed nunc quidem eò abſtinere, & tria illa media ab ipſis propoſita, paucis etiam attingere maluimus. Ea verò ita comparata eſſe videmus, vt nequaquam nobis acceptanda eſſe cenſeamus, quia & ab Inſtructione Regia aliena, &

præiu-

Digitized by Google

præiudicijs varijs obnoxia, & multis difficultatibus inuoluta, & neutri Parti vtilia, aut honorifica fore metuimus. Aliena quidẽ, quia S. R. M. non generales propoſitiones, ſed omnium & ſingularum controuerſiarum explicationes à nobis requirit. Præiudicijs verò expoſita, dum reiectis doctrinæ totius declarationibus, earum loco generales tantùm propoſitiones, & quidem ad præſcriptam ab ipſis normam conſcribi, & Protocollis inſeri volunt, vel cum duobus ſaltem tribuſuè Theologis, etſi integræ Partes conſentire nolint, talem collationem inſtitui. Difficilia autem, quia non magis ſperandum eſt propoſitiones de controuerſijs generales, quæ ipſis ſatisfaciant, quam declarationem antea ſpecialẽ à nobis conſcribi poſſe, nec minùs imò longè plùs temporis ijs primo formandis, deinde recognoſcendis, poſtmodùm declarandis, demùm depurandis, & penitùs liquidandis impendendũ foret. Inutilia verò, quia per anguſtias reliqui temporis vix rectè inchoari nouum iſtum controuerſias liquidandi modum, nedum per omnes, aut ſaltem præcipuas percurri poſſe præuidemus. Vnum verò aliquem vel minimum, vt ipſi velle videntur, articulum, ita pertractari, perexiguum foret Colloquij huius tanto conatu inſtituti, tantoq; ſumptuum & temporis diſpendio, hucuſq; continuati pretium, varijs imo omnium toto Chriſtiano Orbe partium calumnijs, cauillis, ludibrijs, obnoxium. His igitur medijs bona ipſorũ cum pace ſepoſitis, vt tamen omnes Colloquio huic porrò etiam continuando nos paratiſsimos eſſe agnoſcant, noſtra ex parte tria alia & conueniẽtiora, vt nobis videtur, & vtiliora, & faciliora, & æquiora, & Regiæ menti magis conſentanea proponimus.

Primum illud quod iam ſuperius attigimus, vt ipſi declarationis noſtræ recognitionem ſpecialem, per ſingula & præcipua doctrinæ capita conſiderandam nobis proponant, ac viciſsim ipſi noſtras propoſitionum ab ipſis oblatarum conſiderationes, à nobis alternatis vicibus acceptent, atq; ita vtrinq; in pleniori declaratio-

tio-

tione, & liquidatione doctrinæ pergamus. Alterum ſi forte propoſitiones noſtras, vt hactenus ita deinceps ſuâ conſideratione nō dignentur, ſaltem in ſuarum popoſitionum ad recognitionem à nobis offerendam (quæ iam parata eſt) declaratione, depuratione, ac liquidatione nobiſcum progrediantur. Sin autem ne hoc quidem medium placeat, Tertium, & ex noſtra quidem parte vltimum illud proponimus, vt selecti vtrinq; Theologi, ſeni aut ſepteni præſentibus vtriuſq; Partis Præſidibus ac Directoribus, familiari Colloquio, in loco tamen publico, vtraſq; & noſtras, & ipſorum propoſitiones, inter ſe ita conferant, vt ex illis communi deliberatione, atq; conſenſu propoſitiones certas excerpant, formentq; ex quibus quatenus vtræq; Partes inter ſe conſentiunt, quatenus verò, & in quibus diſſentiunt, cuiuis docto, & indocto manifeſtum fiat, vt quæ propoſitiones illas à delectis illis Collocutoribus, ita formatas, & per Notarios conſignatas, per ſingula capita, ſuæ quiſq; parti conſiderandas, porrò examinandaſq; proponat, atq; ita ex omnium tandem conſenſu tota liquidatio dogmatum controuerſorum perficiatur, ac tum demum ad eorundem quæ controuerſa manebunt defenſionem, aut refutationem procedatur. Hac viâ ſi pergamus eius, quod reſtat quamuis exigui temporis ſpatio modo animis vtrinq; ſolius veritatis, & charitatis cupidis conueniatur plus vtilis operæ, quàm duobus hactenus, aut tribus menſibus, vtrrinq; nos præſtituros confidimus. Huic autem negotio inchoando, & ſi nos quidem, vel hac ipſa hora parati ſimus, ſi tamen deliberandi a liquod ſpatium, ſibi concedi poſtulant, diem craſtinum deſignari optamus.

Subiunxit Periluſtris & Adm. R. D. Archid. Vilnen. Proteſtati ſumus ab initio, quod hoc ſcriptum in Protocollum admitti non poſsit ob ſequentes rationes. 1. Quia totum illud ſcriptum quod antea lectum fuerat contra noſtras rationes, inſertum eſt, de quo tamen conuentum fuit omnium conſenſu, ne

exta-

extaretinProtocollo, ex ea potiſsimum ratione ne ſcripis inutilibus pretioſiſsimum tempus tereremus? 2. Quia in illo imputantur nobis quæ nunquam ſunt acta, aut non eo modo acta. 3. Quia hoc ſcriptum magis ad diſſenſionem, quàm ad finem, quem S. R. M. intendit, facit, eò quod multa inſunt offenſiua. 4. Quia expectauimus reſponſum à Theologis Reformatis, nullum autem habemus, niſi ab Illuſtriſſ. D. Caſtellano Chelmeñ: proteſtamur proinde, & rogamus, vt deſcendant nobiſcum iuxta Inſtructionem S. R. M. in arenam.

Tum Illuſtriß. D. Caſtellan. Chelmen. Replico (*inquit*) ad verba Adm̃ R. D. Archidiaconi Vilnen. nullam rationem eſſe ſufficientem, quâ hoc quod iam declaraui nomine totius partis Reformatæ, actis excludi poſſe, aut debere probat. Nã primo etiamſi conſenſũ fuit, ne memoriale prius prælectum actis inſereretur, attamen cum in prælecto àR.P.Schönhof ſcripto eædem, quæ nos oppugnant, rationes aut directè aut indirectè, ſunt allatæ, ideo neceſſe fuit, ad vtrumq; illud ſcriptum, vno ſolo, lucrandi temporis gratiâ, reſpondere. Quoad 2. Realitas eorum, quæ dicta ſunt, magis à parte ReformatæReligionis Profeſſorum ſtabit, quod acta ipſa, & Protocolla Orbi demonſtrabunt. Quoad 3. An offenſiua aliqua ſcripto huic inſint, Orbis iudicabit. Quoad 4. Quod nonTheologus nomine partis totius Reformatæ reſponderit, ideo factum, quia metus fuit ne per interpellationẽ, aut verba aliqua à fine charitatiui colloquij valde aliena, Theologo reſpondenti maior crearetur acerbitas, & negotium hoc eo magis impediretur: ſi verò à proteſtatione non receſſerint DD. Collocutores Partis Catholicæ, viciſsim reproteſtatur Pars Reformata, ſe etiam refragari vt prælecta à DD. Catholicis, quæcunq; illa nouiter ſunt illata, inſerantur.

Tan-

Tandem Illuſtris & Adm. R. D. Zawiſſa Archidiaconus Vilnen. Referemus, ait ad Partes. Seſſio ſoluta & in diem ſequentem indicta.

SESSIO XXXIII.

Septimâ Nouembris.

In præſentia Illuſtriſſimi D. Legati & DD. Deputatorum, petierunt DD. Auguſtani vt reſponsũ ipſorũ ad proximã declarationẽ DD. Catholicorum, à R. P. Schönhof 2. Nouemb. propoſitam prælegeretur. Quod cùm DD. Catholici certas ob cauſas non admitterent, auditâ horâ duodecimâ, ſoluta eſt Seſſio.

Die Octauâ Nouembris.

Eadem controuerſia agitata fuit, ſed nec dum componi potuit.

SESSIO XXXIV.

Die Nonâ Nouembris.

Cum Illuſtriſſimus D. Legatus, ſuo & Catholicæ Partis nomine, ſcriptum quo DD. Auguſtani, DD. Catholicis reſpondere volebant, admittere & actis inferri nollet, DD. Auguſtani contra id Manifeſtationem eo, qui ſequitur, modo fecerunt.

Quandoquidem Auguſtanæ Confeſſionis Profeſſoribus nomine tenus compellatis per vltimam Declarationem Dominorum Catholicorum, die ſecunda Nouembris præſentibus Illuſtriſſimis DD. Legato & partium Præſidibus prolatam, neceſſitas impoſita eſt reſpondendi, ad quod reſponſum reddendum iam per ſextiduum parati fuerunt, admittiq; conſtanter petierunt: E contra DD. Catholici non obſtante, quod ipſorum ſermo & Partis Reformatæ reſponſum, ſine vlla Præſidũ cenſura eodem loco iam audita ſint, reſponſum tamen Auguſtanorum, citra

tra

tra præuiam S. R. Maieſtatis cenſuram admittere, mediaq; ad progreſſum Colloquij facientia ſaltem audire noluerunt. Nos autem euidentē illam inæqualitatem inter partes & futuram temporis iacturam attendentes, antequam cenſura à S. R. Maieſtate poſſit obtineri, mediū hoc ab Illuſtriſsimo D. Legato propoſitum, moram huic negotio iniecturum & quod ſupereſt ad metam Colloquio poſitam exiguum temporis ſpatium planè cōſumpturū eſſe prouideamus, ideo manifeſtamus non poſſe nos permittere, vt inferiores & viliores habeamur, quam Pars Catholica fuit in proponendo, & Reformata in reſpōdēdo; ſed petere inſtāter & inſtantiſſimè, vt eadem facultas nobis fiat proponendi nobis noſtrum reſponſum, quæ ſcripta & data eſt Parti Catholicæ & Reformatæ. Quodſi hoc non concedatur, manifeſtamus porrò, nos neq; moræ huic ſancto negotio iniectæ & inijcendæ, neq; diſpendij ſi quod inde eſt oriturum reos eſſe. Reſeruare autem nobis per expreſſum facultatem competentem proponendi ea in publico quæ hactenus, fuerunt repulſa; & nequaquam renunciare Actioni publicæ magno cum dolore noſtro hactenus impeditæ, ſed paratos eſſe vel hac die deſcendere, ad liquidationem, ſiue etiam ad collationem de Vero & Falſo, poſtquam honeſtiſsimis petitis noſtris ipſiq; æquitati, ex iure naturæ & gentium, maximè autem ex vigore Inuitationis & Inſtructionis Regiæ nobis debitè fuerit ſatisfactum.

Quâ Manifeſtatione Audita, Pars Catholica ad ſuos referendi & viciſſim reſpondendi poteſtatem ſibi reſeruauit.

Decimâ Nouembris.

Propter vrgentiſsimas occupationes Illuſtriſſ. D. Legati, & abitum ex Vrbe, delata eſt Seſſio & in diem Lunæ, proximæ ſequentis hebdomadæ indicta.

SESSIO XXXV.

Decima octauâ Nouembris.

In præſentia Illuſtriſs. D. Legati, & Illuſtriſsimorum DD. Deputatorum inſinuarunt DD. Catholici ad proximum DD. Reformatorum 6. Nouemb. prælectum Memoriale, reſponſum, quod nomine Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi D. Epiſcopi Samogitiæ, vti Præſidentis Catholicorum conſcriptum 7. Nouemb. quidem paratum habuerunt, prælectionē tamē eius in hunc vſq; diem diſtulerunt, eo quod priuata quædam collatio inter DD. Catholicos & Reformatos interceſsiſſet, & DD. Notariis tempus interueniens relectioni Actorum conceſſum fuiſſet. Cuius reſponſi prælectionem Illuſtriſs. D. Caſtellanus Chelmen. nomine Partis Reformatæ admiſit, libertate ſibi reſeruatâ paucis verbis, ad illud reſpondendi. Reſponſi autem tenor eſt talis.

Illuſtriſsimi & Magn. Domini.

Tandem noſtris imò & Sereniſſ. Regis D. Noſtri Clementiſsimi, omniumq; Illuſtriſsimorum ac Rn̄dmorum Regni Epiſcoporum, atq; imprimis ipſius Illuſtriſſ. ac Rn̄dmi Metropolitani, Archiepiſcopi Gneſneñ. votis, ac intimis deſiderijs videtur annuere benigniſsimus DEVS, quando poſt illos, tam præliminarium conditionum ſcopulos, tum incidentium hactenus difficultatum ſyrtes, Colloquium noſtrum, (vti ex nupero cum Parte Reformata pacto, & conſenſu ſperare fas eſt) ſecundiore curſu videtur progreſſurum: Deum meo, & omnium meorum nomine ſupplex oro, vt curſum iſtum ſecundare, & Diuini Spiritus ſui aurâ, ad portum dignetur prouehere. Quòd reliquum eſt ne fortè in ſimiles deinceps ſcopulos, aut breuia impingamus, viſum eſt mihi, Illuſtriſſ. & Mag. DD. Veſtris, nonnulla in anteceſſum proponere, quæ tanto plùs ac meliùs ad futurum curſum faciant, quanto nos ex parte noſtra, ad ineundum, & proſequendum hunc curſum, promptiores paratioreſq; eſſe ac ſemper fuiſſe iudicabunt.

Cùm nuper ad conſeſſum DD. Veſtrarum noſtrum Theologum deſtinaſſemus, non aliud nobis propoſitum fuit, quàm declarare

rare

Digitized by Google

rare nos progredi quidem ſeriò velle, ſed progredi non poſſe; ſi DD. Veſtræ pergent vrgere acceptationem diu iam, & ſæpiùs reiectarum à nobis Veſtrarũ (vt vocãt) Confeſsionum: deinde verò modos ſuggerere, quibus negotiũ procedere poſſe viſum eſt, ſi excluſis vel ſepoſitis tãtiſper illis Cõfeſsionibus procedere, prout inuitabamus, velletis.

Hic erat ſenſus noſter, hæc omnium Oratio, neq; quidquam ad inuidiam, in vos deuoluendam, dictum eſt. Rationes, quibus moti confeſsiones illas ſemper repulimus, modeſtè & ſine vlla penitus offenſa (quod agnouit Illuſtriſſ. D. Caſtell. Chelm̃.) productæ ſunt, in eum tantùm finem, vt conſtaret orbi non temerè repulſas eſſe.

Vos iſta ad inuidiam veſtram dicta eſſe interpretamini, & acerbè nos, & dicta noſtra tractatis. Impediui, quibus maximè modis potui, ne quis Theologorum meorum, paria vellet reponere, & optaſſem, DD. Veſtræ ſuis interdixiſſent. Seruabo conſtanter, quod nuper denunciari iuſsi, non permiſſurum me, vt nouis hiſcè rationum certaminibus, obex ponatur. Si permittenda ſunt, expediantur lateraliter, ſine impedimento cauſæ publicæ.

Vnum illud commemoro, aduertere vos ipſos potuiſſe, ea omnia, quæ tanto molimine congeruntur, inutilia eſſe, & ad perſuadendum inefficacia, ſi intelligere voluiſſetis, quænam apud nos ſint præcipuæ, & veluti fundamentales cauſæ, reiectarum Confeſsionum Veſtrarum. Generatim omnes ad tria Capita reuocauimus.

1. Quòd Confeſsiones Veſtræ aduerſentur eorum ſenſui, qui nobis præſcribere, & imperare potuerunt. 2. Quòd nobis ſint præiudicioſæ & noxiæ. 3. Quod vobis, & toti negotio inutiles.

Hoc poſtremum ſufficere vobis potuit & debuit, vt intelligeretis omnes veſtras ratiocinationes, & cenſuras eſſe ruinoſas. Nam ſupremũ & potiſsimum omniũ rationũ, & diſcurſuum veſtrorũ fundamẽtum eſt, (ad quod cætera omnia reuocantur) quòd iſtiuſmodi forma Confeſsionũ neceſſaria vobis viſa ſit ad hoc, vt mentem & doctrinã veſtram ſufficienter, quantùm præſens negotium requirebat, explicaretis.

 Et

Digitized by Google

Et quidē ſi ita Confeſsiones veſtras à negotio arceremus vt ſimul vetitū vellemus, ne vllo deinceps pacto doctrinā veſtrā & ſingulos particulares articulos in mediū proferre liberū vobis foret, haberetis profectò cauſam tantoperè expoſtulandi, &hanc quaſi vnicam viam vrgendi, quâ producere vobis liceat omnia & ſingula dogmata in publicum. Sed enim ſi hoc obijcitis, iniuriam nobis facitis, & notā impingere vultis,quam neq; ferre poſſumus,neq; iure debemus. Sæpè ſæpiùs conteſtati ſumus, liberū & integrum vobis fore, vt omnia & ſingula veſtra dogmata, ſingulaſq; dogmatum partes ac particulas, vſq; ad minutiſsimos articulos, & tenuiſsima opinionum veſtrarum filamenta in publicū producatis; quidué nobis conſonum, quidué à nobis diſſonum, in cætibus veſtris doceatur, liberrimè & integerrimè ſuo tempore, ſuo loco ediſſeratis. Quis enim hoc vetet? itanè nos hebetes eſſe cenſetis, vt quod vnicè, & ſummè omniū ad præſens negotium neceſſariū eſt,à negotio arcendū eſſe decreuerimus quaſi ignari, quid agendum, quid in præſentiarum tractandum ſuſceperimus? Scimus ſcopum nobis propoſitum eſſe, vt tollantur ſi fieri poteſt diſsidia doctrinarum. Quis verò ea tollat, niſi doctrinæ adinuicem conferantur? Quomodo autem conferantur, niſi in medium hinc inde liberrimè & integerrimè proferantur?

Non igitur proferri vetuimus, nec vetamus. Ipſi vos memorias & conſcientias veſtras conſulite, quoties vobis iſtam libertatem obtulimus, conceſsimus priuatim, publicèq; aſſecurauimus? Nō memorabo vices alias,expendiſſetis ſaltem hanc ipſam extremam, quam iam impugnatis,declarationem noſtrā, ibi vidiſſetis aliquoties ſpecificationem dogmatum, non prohiberi à nobis, ſed expeti. Quare primum ſaltem quem ſuggeſsimus, ad progreſſum principalis negotij modū, non inſpexiſtis? vbi tantum vobis in eam rem concedimus, quantū prudentiſsimus quiſq; deſiderare potuit? nonné ibi diſertis & expreſsis verbis dicimus; *Libenter nos permittere, vt pauculis & generalibus propoſitionibus ſuccedant ſingularum doctrinarum, aut capitum declarationi-*

tiones, & deſcenſus vſq; ad particulares, & particulatiſſimos articulos, & ne quid videamur ſubtraxiſſe eorum, quæ in ſcriptis hactenus porrectis, id eſt, in prænominatis Confeſſionibus comprehendebantur, ipſo declarationis tempore, ex iiſdem ſcriptis ſingulæ propoſitiones in medium producantur, & cum noſtris quoq; declarationibus conferantur. Quod ſi viſum fuerit, vt hæ ipſæ propoſitiones declarationis loco Protocollo inſerantur, non immutatis ſubſtantialibus, & iis quæ concernunt doctrinam, omiſſis tamen quæ manifeſtè offendunt, ad ſingula declarationum noſtrarum puncta, inſerantur ſingula ſimiliter ex his ſcriptis tranſlata, ita vt poſt propoſitionem generalem, vna quæpiam noſtra declaratio, locum ſuum occupet, proximum verò Partis oppoſitæ declaratio, iiſdem verbis concepta obtineat, atq; ita procedatur in longum, à primo capite vſq; ad vltimum. Quid deſiderare poteratis liberaliùs?

Itaq; incompetens erat, & ad inuidiam quæſita Confeſſionum illarum defenſio, quâ perſuadere imperitis nitimini, impeditos vos eſſe, ne doctrinā, & ſingulos doctrinæ articulos, exactiſſimè in mediū proferre vobis liceat. Minimè verò gentium. Proferte, enarrate, edicite omnia capita, ſingula membra, ſecate, diſcerpite, anatomizate exactiſſimè, nobis etiam vrgentibus; quidquid agendæ rei neceſſarium eſt, agite: vnum illud duntaxat cauete, ne quid agatis, quod hic minimè agendum eſt.

Tale verò eſt Confeſſiones condere, librum conficere. Tractatus integros, indiuulſos, non interpolatos, doctrinâ noſtrâ non interſectos Protocollo inſerere. Hoc ad cognoſcendam doctrinam, ad conferēda dogmata, ad diſpiciendum diſsidium, ad diſquirendum pacis, & concordiæ modum, minimè neceſſarium eſt: imò nouas Confeſsiones ſancire, nihil aliud eſt, quàm vel ipſum diſsidium ſtabilire, vel anſas, cauſas, formam, & animam diſsidio ſubminiſtrare.

Nobis propoſitum eſt, doctrinas conferre; conferri autem doctrinæ non ſolent, nec poſſunt, per integros tractatus. Sed membratim diuellendæ ſunt, & per partes ad inuicem componendæ. Hoc nos fa-

ctuoros

Digitized by Google

cturos toties promittebamus, tantùm capita quædam in pauculas propoſitiones diſtributa, præmitti (iuxta Inſtructionem Regiã) optabamus, vt ſciremus ſaltem genera vel ſpecies dogmatum, de quibus deinceps conferendum eſſet. Vos ex occaſione iſtorum ſummorum capitum, & ſumariarum propoſitionum ingentes tractatus concinnaſtis. Iſtos reiecimus grauiſsimis ex cauſis, quas nuper audiuiſtis: reiecimus, inquam, non vt res ibi comprehenſas à tractatione, quæ ſuſcipienda fuit, excluderemus, ſed vt in locum proprium tractationis differremus, vt ſuo tempore in alia, forma, eadem ipſa, omniaq; alia ac ſingula dogmata declarando reaſſumerentur.

Veſtri iniuriam clamitant, queruntur, nos inuadunt, nos damnãt, nos, famamq; noſtram indignè tractant. Quæ noſtra culpa? quid tandem eſt, quod tantopere ambitis? quid veſtrâ intereſt, vt Confeſſiones illæ ex hac officina prodeant? quid negotio prodeſt, vt hanc formam, & nomen retineant?

Hoc vno fundamento conuulſo ruit omnis illa ſtrues veſtrarũ contra rationes noſtras munitionum; & noſtrarũ declarationum, allegationumq; impugnatio. Pauca recenſebo, miſsis pleriſq;, quæ tantùm ad pompam orationis inſerta ſunt. Atq; inprimis quidem cur recognitionem Confeſsionum veſtrarũ, & eorum, quæ corrigi, vel expungi oportuit, particularem notationem detrectauerimus, ſeptem nuper rationes produximus, quarum nulla hactenus confutata eſt. Neque verò eratis ita parum ſagaces, vt ex generalibus noſtrorum notationibus, aſſequi nõ potueritis, quid à vobis corrigi, quid expungi vellẽt. Inprimis autem illud optimè, ex frequentiſsimis declarationibus ſciebatis, noſtros pauculas, breues, & generales de capitibus doctrinarũ propoſitiones velle: vos tractatum & Confeſsionem volebatis. Hanc corrigi, hanc in breuiorem formam redigi, ſeruatâ in alium locum pleniori tractatione, noſtri poſtularunt. Hoc vobis durum, hoc viſũ fuit impoſsibile, hoc demum eſt quod tam amarè accuſatis, exaggeratis, exacuitis, quaſi factum non ex conſcientia, non ex lege charitatis,

tatis,

tatis, ſed ex affectu & ſuſpicionibus, ex obliuione eorum, quæ vtrinq; acta ſunt, adiectis etiam non paucis, quæ nos grauiter offendunt, vt cùm interpretationem Inſtructionis Regiæ, Illuſtriſſ. Legati nomine factam, noſtramq; declarationem tanquam declamationẽ, & acuminatam accuſationem ſugillatis, cùm proteſtationẽ Illuſtriſ. Cancellarij, & meam, ignominioſam, contumelioſam, iniurioſam reiectionem appellatis, cùm ſupplementum, voluntate & authoritate Regiâ allatum, viliter compellatis, cùm omnem veſtræ Confeſsionis correcturam, à nobis toties expetitam, & à S.R.M. requiſitam, ad ſolam expunctionem negatiuarum propoſitionum reuocatis, cúm ſolemnitates in priuata correctura non admiſſas, òmiſsis noſtris iuſtiſsimis cauſis, & alijs remedijs, exaggeratis, imò cúm deliberationes à veſtris ſæpè protractas, nobis tacitè exprobratis: cum de rationibus contra veſtra ſcripta per nos allatis, ita narrationem inſtituitis, ac ſi eaſdem ſubducere voluiſſemus Protocollo, cùm tamen inter vtrãq; partem conuentum ſit, inſerendas eſſe, ſi ipſi ſuas, quas oppoſuerant inſeri vellent. Hæc, inquam, & longè plura, incautè, & aſperè dicta vehementer nos lædunt, & iuſtas parti noſtræ extorquent querelas, prouocantq; ad reponendum; neq; deeſſent, quæ abundè reponi poſſent, niſi nobis charitas, & beata pax eſſet cordi. Vos Illuſtriſ. & Mag. DD. oratos velim, vt authoritatem veſtram interponere velitis, quâ ab his confeſsibus arceantur iſta partium irritamenta, quæ ſola ſufficere poſſent, vt finem potiùs negotio imponamus, quàm vt irritati pro pace, maiora odia domum reportemus. Examinate, ſi vobis libet, poſtremæ declarationis noſtræ verba ſingula, nihil profectò reperietis, quo vos oporteat offendi. Rationes cur Confeſsiones Veſtras non admiſerimus, ex noſtra parte iuſtiſsimas producere voluimus: in vos fruſtrati negotij inuidiam detorquere non intendimus; liberam vobis defenſionem veſtri reliquimus. Produxiſſetis locupletiſsimas rationes, cur pro Veſtris Confeſsionibus tanto hactenus opere egeritis, libenter audiuiſsemus. At quid opus erat tanto in nos

impe-

Digitized by Google

impetu ruere? non inſilimus nos in ea, quæ in rem veſtram allegatis, vt probetis non fuiſſe vobis integrũ à Confeſsionibus illis, reſilire.

Habeant illæ rationes robur ſuum, quod habere aptæ natæ ſunt, Fraternè vos audimus. Primò, cùm profitemini vos Fidei veſtræ profeſsionem, quam ex Dei verbo hauſiſtis, hominum gratiâ aut metu, in realibus mutare non poſſe, ne & ſummæ inter homines leuitatis, & inconſtantiæ infamiam, & vilipendij ac inobedientiæ, erga Maieſtatẽ Diuinam crimen grauiſsimum incurratis. 2. Cùm conquerimini iniquum videri noſtras Propoſitiones Protocollo inſeri, veſtras Confeſsiones excludi, quamuis videamini ſi non plura certè nõ pauciora in noſtris deſiderare. 3. Cùm comemoratis veſtram Confeſsionem iam publicè prælectam eſſe, idq́; famam loquacem ad exteros extuliſſe, atq; adeò infame fore, ſi iam reprobetur. 4. Cùm meminiſtis tandem etiam Regijs manibus per Internuntios veſtros oblatam fuiſſe, ac per hoc veluti nobiliſsimo Protocollo inſertam eſſe, ideoq́; nihil inconſultiùs fingi poſſe, quàm à Protocollis Partium excludi. 5. Cùm auguramini eâ ratione omnẽ Protocollorũ fidẽ vacillaturã. 6. Cùm indignamini plurima minoris momenti Protocollis inferri, id verò quod omnium maximũ eſt, excludi. 7. Cùm male de toto negotio ominamini, ſi ſemel quod nobis aduerſari videtur, reijcimus. 8. Cùm negatis, quidquam deinceps agi poſſe, ſi hæc veluti bâſis, cui omnia inædificanda ſunt, euertitur. 9. Cùm dubitatis, quo pacto nos vobiſcum vnionem deſideramus, ſi ne veſtram quidem ſententiã æquis auribus & animis excipere poſſumus. 10. Cùm interrogatis, quæ tandẽ alia ſuperſit via ad eximendos vobis veſtriſq́; Fratribus errores, quorũ vos accuſamus. 11. Cùm Confeſsionem ipſam accuſationi Confeſsionis, neceſſario in eodem Protocollo iungendam eſſe dicitis. 12. Cùm ab excluſione eius Confeſsionis maximũ cauſæ noſtræ præiudicium comminamini. 13. Cùm inde luculentum diffidentiæ noſtræ indicium & argumentum ſumitis. Hæc, inquã, & alia, quæ in defenſionem Cônfeſsionum veſtrarũ ſignaſtis retineant

per

per nos robur ſuum,qualicunq; tandem pollere vobis viſa ſunt. Nos in iſta propugnacula,quibus vos tuemini,impatienter nō inuehimur. Orbi vniuerſo iudicium committimus. Iudicent prudentiſsimi quiq;.

1. Vtrùm crimen ſit propoſitiones condere, vbi propoſitionum locus eſt, & à Confeſsione nouiter condenda abſtinere, vbi aliud agitur. 2. Vtrùm par ſit ratio veſtrarum Confeſsionum, & noſtrarum propoſitonum; quas initio non tantùm non accuſaſtis,ſed mirè laudaſtis, & indoluiſtis,non præhabitas fuiſſe ad exemplar veſtrarum : nunc verò primùm vindicem manum minitamini. 3. Vtrùm prælectio Confeſsionis veſtræ, contra quam & ego, & Illuſtriſſ: D. Legatus Regni Cancellarius ſolenniter proteſtatus eſt, ius ei contulerit, vt inſeratur Protocollo. 4. Vtrùm à manibus Sereniſſ: Regis, à quo reprehenſæ ſunt,& improbatæ,valorem acceperint. Nam qui S. R.Maieſtatem collaudaſſe Confeſsionem exiſtimant, næ illi vehementer errant. DD. Internuntiorum memoriam, & teſtimonium compello. 5. Vtrùm fides Protocolli vacillet, ſi aliquid ſolenniter reprobatum non contineat. 6. Vtrùm in contentis Protocolli rerum magnitudo, an Actorum legitimitas attendenda ſit. 7. Vtrùm à nobis Confeſsiones reijciātur,quia nobis doctrinæq; noſtræ contrariæ ſunt: an quia eius formæ Confeſsiones, non ſuo loco, nō ſuo tempore poſitæ, relicto iure & plenâ poteſtate, eadem omnia dogmata alibi integerrimè in publicum producendi 8. Vtrùm conceſſo hoc iure baſis negotij emota ſit. 9. Vtrum æquis auribus & animis inſtructiſimus, qui ſuo loco, ſuo tempore omnia audire, & excipere paratos nos eſſe, toties denuntiauimus. 10. Vtrum non hæc ipſa ſit aptiſſima via veſtros vobis errores, ſuo tempore, ſuo loco eximendi. 11. Vtrum iuſtum ſit inſeri Protocollo Confeſsionem accuſatam, quæ ex iuſtis alijs cauſis ideo accuſatur, vt non inſeratur. 12. & 13. Vtrum illi ſibi prẹiudicent, aut cauſæ ſuæ diffidāt, qui ius ampliſsimū concedunt, vt ſuo tempore,& loco, integra cauſa doctrinæ noſtræ,in medium proferatur, atq; etiam exactiùs & copioſiùs quàm in veſtra Confeſsione expreſſa ſint.

 Hæc

Hæc, inquam, diiudicent noſtri ac veſtri, & vtriq; de noſtris quoq; cauſis, quibus perſuaſi Confeſsioni tantopere obſtitimus, pronuncient.

Secuti ſumus ſenſum, & deſiderium, nutumq; S. R. M. ſuſcepimus imperium eius, qui in hac cauſa imperare nobis potuit, Illuſtriſſ. Regni Primatis, ab Inſtructione Regia, tanquam optima & ſapientiſsima totius negotij regula, & vnica in hoc æquore Cynoſura, dimoueri noluimus; timori iuſto, & ex grauiſsimis cauſis primitùs concepto, tempeſtiuè conſuluimus; Protocollū ab Eccleſiaſtica cenſura præcuſtodiuimus; deniq; ſolâ vſurpatione Catholici nominis, cuius inſigne Cōfeſsioni non Catholicæ affixum fuit, à toto negotio & vlteriori tractatione nos detrudi, profeſsi & proteſtati ſum⁹. Hęc ſanè tanti momenti ſunt, vt nō potuerit prudens charitas importunitati veſtræ cedere,

Quod ſi cui veſtrum, iſta non ſatis faciunt, nobis parum eſt, non ab omnibus probari. Nec propterea à noſtra ſententia dimouemur, ad plura veſtrorum noſtrorumq; ſuffragia prouocamus.

Iudicabunt ſine dubio, veſtri quoq; non debuiſſe vôs, vnius, non neceſſarij, inutilis, ſuperflui, impertinentis, incōmodi ſcripti gratiâ, in negotio tanti momenti, tantæq; neceſsitatis, tot, & tam diuturnas difficultates faceſſere. Diſpicient, fueritné ad propoſitum finem, bonoſq; progreſſus tale ſcriptum vſq; adeò neceſſarium, vt penitus ſine ipſo non fuerit integrum, ſine vllo incōmodo, adhibitis alijs, melioribuſq;, nec vlli parti aduerſis, aut præiudicioſis medijs, finem proſequi, hoc eſt, itané neceſſarium fuerit, iſtiuſmodi tractatus edere, quin aliâ viâ, alijs medijs licuerit, & explicare partis ſuæ ſententiam, & percipere partis oppoſitæ doctrinam, & vtroſq; partium ſenſus, inter ſe componere, & deniq; videre in quo poſita fuerit hactenus, poſitaq; ſit hodie diſsidij ſumma? & an, aut vbi lateat ſpes pacis, ac concordiæ? diſquirent, quid tandem incōmodi accepiſſetis, ſi, dando locum Catholicorum iuſtis rationibus, ſcriptum illud, non dico ſuſtuliſſetis, ſed diſtuliſſetis, & à modo tractatus ac Confeſsionis tranſtuliſſetis in modū ac formam collationis, ita diſpoſitæ, vt ſingulis veſtrarum declaratio-

num

num punctis, proximè & imediatè ſubijci, & imiſceri poſſent ſingula puncta declarationũ noſtrarũ. Quid enim amplius à nobis, vel vos ipſi requirere potuiſtis? vel requirant deinceps quãuis rigidiſsimi Iudices.

Iam verò noſtri, vt nihil aliud habeant, cur pro nobis pronuncient, vnum illud, ad reprobandam Confeſsionem veſtram, ſuffeciſſe abundè dicent, quòd obtruſa ſit ſub titulo Catholicæ doctrinæ.

Duplici iure hoc nomen nobis aſſerimus, Ratione & Præſcriptione. Vos hactenus neutrum probaſtis. Multa à vobis dogmata, quæ Catholica ſunt, credi, & doceri non diffitemur. Sed quemadmodum annulus aureus in torque æneo, non facit torquem aureum; ita nec vna veritas doctrinam Catholicam. Indiuiſibile eſt ex ſua forma nomen Catholicum, aut totum tenetur, aut totum perditur. Nec de eo plura. Reſtabat, quæ diffuſè contra particulares quaſdam in Cõfeſsionem Veſtram notationes regeſsiſtis: Compendio decurram.

1. Negatiuas Propoſitiones doctrinæ veſtræ, nemo noſtrum excludere voluit, ſed oppoſitiones affirmatiuarum, ſimul & negatiuarũ; quas ad extremã primæ Actionis partem pertinere, non ignoratis.

2. Doctrinæ falsò nobis imputatæ, non hic à nobis repellendæ, ſed à vobis omittendæ fuerũt, eæ præſertim quas à nobis iam damnatas eſſe conſtabat. 3. Sententiæ priuatæ quorundam Doctorum inſerendæ non erant inter primas illas propoſitiones, quæ eſſe debebant, veluti ſemina & themata totius negotij; & ex præliminaribus conuentionibus ſciebatur, nihil allegandum eſſe, niſi ex libris ſymbolicis, vel conſenſu totius Eccleſiæ Noſtræ 4. Corollaria quoq; inter Doctos ſimplicibus aſſertionibus inſeri non ſolent.

5. Doctrinæ noſtræ declaratio, præſertim non ſatis æqua, propoſitionibus veſtris im miſceri non debuit, & nobis relinquenda fuit pro altera parte primæ Actionis, vti requirebat inſtructio.

6. Non equidem negamus, potuiſſe abſolutè loquendo partes illas primæ Actionis in vno ſcripto confundi: at in hac cauſa, vbi agendum fuit de partium tantopere ſibi aduerſantium ſenſu, nihil magis

optan-

optandum fuit, quàm diſtincta tractatio, & progreſsio per gradus, aſcendendo; à facili oribus ad difficiliora. Nec plura.

Namq; quæ ad extremum de noſtris propoſitionibus examinandis adijciunt, vel minæ ſunt, vel noſtra ipſorummet deſideria: quid enim ampliùs expetimus, quàm vt noſtræ veſtræq; propoſitiones examinentur, cùm fuerit declarandi, & diſquirendi locus? ſed vos imprimis de integro tractatu propoſitiones facite: iam pridem promptitudinē noſtram obtulimus, & veſtram non ſemel euocauimus, duobus ſemper adiectis conditionibus. 1 Vt ſcripta toties repulſa ſub hac forma Protocollo inſerenda non obtrudatis. 2. Vt in omni deinceps Actione, teneatur modus præſcriptus in Inſtructione Regia, à qua (quod aiunt) longiùs noſtros hactenus abijſſe, quàm veſtros, mihi nouum viſum eſt, & comminationem probandi, eo ſpectare exiſtimo, vt noua excitetur concertatio, quâ reliquum tempus trahatur.

Deniq; ea quæ de modis in Principali negotio procedendi, noſtris, non ſine accuſatione & cenſura opponere vobis placuit; reieceramus ad binos ternoſué partium Theologos. Diſpexerint illi, quid agi potuerit; & iam poſsit, ac debeat: quanquam vt (quod ſentio) dicam intempeſtiuum mihi iam viſum eſt, de modis agendi differere; & vereor, ne exhibeant orbi ridendam potiùs operam, quàm probandam. Quis enim vnquam, cùm negotio imponendus eſt finis, de modo primùm agendi diſputat? Procedant tamen: vtinam verò maturiùs actum fuiſſet! Si benè aduertere vultis, eum demum modum amplexi ſunt veſtri, quem toties palam, & priuatim ſuggeſsimus: & in ijs tribus modis, quos nuperrimè obtulimus, ſubſtantia cum veſtro poſtremo, prout à vobis declaratus eſt, eadem eſt. Propter Notarios Iuratos nuper ad priuatā formationem theſium, à vobis non admiſſos, noſtra aliquoties conſilia repulſa ſunt, nunc tandem probatis ipſi Notariorum ab iſto examine abſentiam. Vtinam iam in ipſa negotij extrema deuolutione fructum aliquem carpamus, & ſaltem ad metas bono populi Chriſtiani plauſu coronemur.

Inte-

Digitized by Google

Interim etiam atq; etiam obſecro, charitatem teneamus, & Veſtra imprimis Illuſtriſſ. Dñatio Illuſtriſſ. Legate nihil concedat, nihil permittat, quo fieri poſsit, vt diſcedamus irritati.

Seſsio Soluta.

SESSIO XXXVI. ET VLTIMA.

Die vigeſimâ primâ Nouembris.

In præſentia Illuſtriſsimi D. Legati, & omnium partium Deputatorum, Illuſtriſs. D. Caſtellanus Chelmenſis ſic locutus eſt.

Ad præſcriptum proximum à DD. Catholicis 18. Nouembris inſinuatum, iam non replicamus, quia tempus id nunc non permittit. Præterea honorantes perſonam Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Dñi Epiſcopi cuius nomine prælectum fuit, cuiuſq; & humanitatem & ſuauitatem tractationis hic experti ſumus, a reſponſo ſuperſedemus. Hoc tantùm nos afficit, quod dicimur viliter compellaſſe ſupplementum S. R. M. quod longiſsimè a nobis abeſſe profitemur, & quod is, qui ſcriptum noſtrum leget, facilè etiam iudicabit. Reſpondit Illuſtris & Adm. R. D. Zawiſſa, Quemadmodum in charitate Colloquium hoc cœpimus, ita vt in charitate finiatur optamus. Theologi etiam noſtri habuerunt quod reſponderēt, ad illud proximũ DD. Reformatorum ſcriptum: ſed quia tempus nos excludit, & vt oſtendamus fraternam Charitatem, etiam ſuperſedemus.

Eadem Seſsione obtulerunt DD. Catholici Remanifeſtationem contra DD. Auguſtanorum die 9. Nouemb. inſinuatam Manifeſtationem. Quam cum DD. Auguſtani admittere nollent, niſi eâ conditione, vt ipſis liberum eſſet reproteſtari: cenſuit Illuſtriſs. D. Legatus, rem hoc pacto in infinitum proceſſuram adeoq; præſtare, vt ros in ſuſpenſo maneat. Quod mediũ licet Parti Catholicæ præiudicioſum viſum ſit, condeſcendendo tum authorita-

rita-

Digitized by Google

ritati Illuſtriſs. Legati & anguſtiis temporis etſi iam de Remanifeſtatione antea conuentum eſset, ſtudio tamen Pacis & Charitatis in hoc digreſsu retinendæ, modeſtè ferendum duxit. Cui etiam medio, ab Illuſtriſsimo D. Legato propoſito Pars Auguſtana acquieuit. Seſsio ſoluta & Colloquium, mutuâ valedictione & in fraterna charitate.

Georgius Tyſzkiewic, Epiſcopus Samogitiæ, uti Præſides Theologorum Catholicorum mpp.

Joannes de Leſno Leſczynſki, Caſtellanus Gneſnenſis mpp.

Zbigneus de Goray Gorayſki, Caſtell. Chelmen. Teſtor ita Actum eſſe. mpp.

Staniſlaus Drcheionſki, de Drehoiow, Teſtor ita Actum eſſe, mpp.

Locus Sigilli. — *Locus Sigilli.* — *Locus Sigilli.* — *Locus Sigilli.*

Adamus Kos S. R. M. Secretarius Canonicus Kielcenſis, hoc Protocollum conſcripſi, & in ordinem digeſſi, tanquam Iuratus eiuſdem S. R. M. Notarius in Colloquio Charitatiuo Thorunienſi.

Fridericus Meybech Archipresbyter Elbingenſis Canonicus Gudſtadienſis S. Theologiæ Doctor, hoc Protocollum conſcripſi, & in ordinem digeſſi tanquam iuratus a parte Catholica Notarius in Colloquio charitatiuo Thorunienſi.

Digitized by Google

Ad mandatum S. R. Maieſtatis D. mei Clem. Acta hæc Conuentûs Thoruniensis, ad Regij & Archiepiſcopalis Protocolli fidem, typis Warſauiæ deſcripta, ex ſpeciali Commiſſione Illuſtriſſ. D. Caſtellani Chelmenſis, cum Protocollis partis Reformatæ accuratè ac diligenter contuli, nec quicquam diſcriminis, quod quidem ad eſſentialia attinet, in ijs deprehendere potui. Curioſitati tamen & forte an ſcrupulis nonnullorum vt eatur obuiam, paucula quædam tuis candide Lector, oculis inſpicienda propono, judicandumq; annon fieri potuerit, vt interdum manus Notarij. licet iam tardior curſum verborum loquentis & linguæ velocitatem aſſequi nõ potuerit. Paucula ea ſunt, quæ rem ipſam afficere videri queant: pluſcula, vbi Typographi operis errandi forſitan occaſio præbita. Minuta planè, & vocis in alterius ſynon. me mutationem, tituliq; alicubi additionem aut omiſſionem, verborumq; tranſpoſitionẽ, ſcias me non adeò moratum. Vale. Warſauiæ, 2 Iun. An. Chriſtiano 1646.

Ioannes Wundergaſt.

Protocollum Reformatorum non habet proœmium illud, quod in Warſauienſis Editionis extat frontiſpicio, Quaternione A. pag. 1. 2. & principio 3. Sed ita incipit:

Illuſtriſsimus ac Excellentiſsimus D. GEORGIVS à TĘCZYN Dux in Oſſolin, S. R. I. Princeps, & Supremus Regni Cancellarius, ad præſens negotium pacificè tractandum, & Fraternè continuandum, à S.R.M. Legatus, in hunc modum auſpicatus eſt. *REDIVIVUM &c.*

	PROTOCOLL. REG.	PROTOC. REF.
A 2. p. 2.	Tranquillâ Collocutione.	Tranquillâ collatione.
C 1.	Vniuerſ⁹ Clerus & populus Chr.	Vniuerſus Catholicus & pop: Ch.
C 3.	Louicij vi. Menſis Iul.	Lou. xvii. Menſis Iulij.
D 1. p. 2.	Conditiones pro prima Actione, quæ quidem DD. Reformatis eâdem die ab illis exhibitæ ſunt Illuſtriſſ: D. Legato inſinuarunt, DD. verò Auguſtanis non niſi 31 Auguſti, & ſunt iſtæ.	Conditiones pro prima Actione, Illuſtriſſ: D. Legato inſinuarunt, quæ quidem DD. Reformatis eâdẽ die ab illo exhibitæ ſunt, DD verò Auguſtanis non niſi 31 Auguſti. Sunt autem iſtæ.
D 3. p. 2.	Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.	Sic me Deus adiuuet, & Sanctum Dei Euangelium.
E 2. p. 2.	Sibi arrogatæ ſuperioritatis	Sibi arrogandæ ſuperioritatis.
H 3.	Liberum erit duabus reliquis, in id conſentientibus, ex Protocollis, ſupra dicto modo, ſeruatiſq; ijſdem legibus, vel ex Tranſumptis legitimè ſubſcriptis Typo	Liberum erit duabus reliquis, in id conſentient. ſupra dicto modo, ſeruatiſq; ijſdem legibus, ex Protocollis ſuis, vel Tranſumptis legitimè ſubſcriptis Typo

Digitized by Google

	Reg.	Ref.
	publicare. Indicta eſt Seſsio in ſequentem diem.	publicare. Seſsio ad craſtinum indicta.
Bb 4. lin. 6.	Vniuerſum negotij curſum iuſtiſsimè ex noſtra parte ſiſtere.	Vniuerſum negotij curſum ex noſtra parte ſiſtere.
Dd 3. p. 2. l. 3	atque Antiſtites.	Adſtites.
Ff 2.	reſpondendi poteſtatem ſibi reſeruauit,	*Poſt hæc verba:* reſp. pot. ſibi reſ. *Protocollum Reform: iſta habet:* Soluta Seſsio, & in ſequentem diem indicta.

SPHALMATA TYPOGR.

A 2	æſtro.	œſtro.
A 3. lin. 3.	quis dubitat?	quis dubitet?
ibid.	ad ſecundanda eius vota.	eius Maieſtatis vota.
A 4.	idq; in votis habentes, Fraternus.	idq; in vot. hab. vt Fraternus.
lin. pen	ipſo Orbis iudicio.	ipſius Orbis iud.
B 4. p 2.	Functio DD. Deputatorum.	Functiones Illuſtr. & M. DD. Dep.
C 2.	R. P. Damalevvicz,	R. P. Stephanum Domalevvicz,
C 2. p. 2.	Cuſtodem Samogitiæ,	Cuſtodem Eccleſ. Cath. Samt.
C 3.	illud optari.	illud aptari.
C 3. p. 2.	ſanguinis guttam	Sangui noſtri guttam.
	Proinde ac ſi vereamur,	Proinde etſi vereamur.
C 4.	die 25 Iulij,	die 25 Iunij.
	ſuperioris ſæculi Anno 1530.	ſup: ſæc: An: 30.
	eiuſq; glorioſiſsimæ record:	eiq; glor: record:
D 1. l. 4.	Nadaboth ſpontaneum,	Nadaboth ſpontaneitatum.
	non eſse opus, ſuæ	non eſse opis ſuæ.
D 1. p. 2.	Sed etiam eiuſdem Regni,	Sed etiam vbi extra eiuſdē Regni.
D 2. p. 2.	Quæ pars id quod affirmat in probando.	Quæ pars in probando id quod affirmat, & ab adu.
D 3.	à Conſenſu delectorum,	à Conſeſſu delectorum.
D 3. p. 2.	Cathalogus,	Catalogus. *idem ſphalma occurrit & alibi.*
D 4.	Neopolkos,	Neapolkos.
	alijs ſubſtituere,	alios ſubſtituere.
pag. 2.	Georgius Lætus Diſtrictus Ruſsiæ,	Georg: Lætus Diſtrict: Lublinen: Cenſen.
E 3 p. 2.	Principijs quæ noſtræ Propoſit: nec non parallela	Princip: quæ naturæ Propoſition. nec non parallelia.

E 4.

Digitized by Google

E 4. lin. 3.	in iiſdem literis,	in iiſdem ſacris literis.
	Sententiam præferunt,	Sententiam referunt.
F 1. l. antep.	interpretario	interpretatiuo.
F 2. lin. 5.	homogæneum,	homogeneum.
F 4. p. 2.	Euthichianorum,	Eutychianorum.
G 2. p. 2.	debito ponendi ſententias,	debito promendi ſent:
H 1.	rapſodias,	rhapſodias.
J 3. p. 4.	Euthychetis,	Eutychetis.
K 2.	doctina legis.	doctrina leg.
M 2.	ſanguinem perfundere,	ſanguinem profundere.
M 3.	Quoad 3.	Quá 3.
N 2.	Quæ in Concilio definita	Quæ in Concilijs def.
P 1. lin. 4.	& ſtabilienda,	ad ſtabilienda.
P 3 pag. 2.	diſertatio,	diſsertatio.
Q 4.	ex aliqua eloquentis.	ex aliqua loquentis.
	breuibus & ſimplicibus,	breuibus, ſimplicib: & perſpicuis.
R 1. p. 2.	Rñdmē, Illuſtrmē, Illuſtrm̄i,	Reuerendiſsime, Illuſtriſsimi.
R 3. p. 2.	ſynezite,	ſynezitêi.
R 4.	viſus eart.	viſus erat.
R 4. p. 2.	daro iam prius	dato tamen prius reſp.
Ibid:	Acta legerentur.	Acta relegerentur.
S 2. p. 2.	tenuiſsimè læſionis,	tenuiſsimæ læſionis record.
S 3. lin. 2.	fores	foret.
lin: vlt:	vt alia moliamur,	vt talia moliamur.
S 3. p. 2. lin: vlt:	vſitatiſsmo,	vſitatiſsimo.
S 4. p 2.	riſum Sardium,	riſum Sardonium.
T 2. p. 2.	è proprio loco maximè longè deturb:	è propr: loco longè deturbatū, maximè credimus.
V 3.	ex munere Illuſt: D. Legati,	ex munere Legati.
V 3. pag 2.		*Deleatur ſignum parentheſeos poſt vocem* veſtrâ, *& alterum ante vocem* ſicut.
lin: penult:	vel Partis ſecurit:	vel Pactis ſecuritatem.
V 4.	conſultuſq;	conſultiuſq;.
X 1. lin. 5.	haud inulti.	haud inuiti.
X 4. pag. 2.	catafractum,	cataphractum.
T 1. lin: 4.	Siſtemate,	Syſtemate.
T 2. lin: 1.	ex præſidibus S. R. M.	ex Præſid.bus à S. R. M. deput.

T 3.

T 3. pag: 2.	Ne Seſsiones publicè fiant, Sed coacti,	Ne Seſsiones publicæ fiant; Sed quaſi coacti.
T 4	Spem habere poſsimus vlterioris,	Spem habere poſsimus ſolidlorem vlterioris neg.
T 4. p. 2. l. pen:	totius partis mentem ap:	totius partis meæ mentem aperui.
Aa 1.	Qua finitâ,	Quâ declaratione finitâ.
Aa 2. pag: 2.	poſſet remederi,	poſſet mederi.
Aa 3.	eò quòd optimè omninò meminiſsent,	eò quòd optimè omnium mem: partes.
Aa 4.	deliberando triduum eſt conſumptum.	deliberan: triduum integrum eſt conſumpt.
Cc 1.	alium ſcriptorum formam & ordinem, qua,	alium ſcriptorum ordinem & formam, qua.
Ee 1. lin: 6.	ſatisfactione,	ſanctificatione.
Ee 2.	eo rationibus illis,	& rationibus illis.
Ee 3	An pleriq; ſuſpicabuntur,	Annon pleriq; ſuſpicabuntur.
pag: 2.	ac Conuentum O. len.	ad Conuentum Orlen.
	alia nouiſsimè,	alia nouiſsimæ huic declarat.
	attingere maluimus,	attingere malumus.
Ee 4. p. 2.	vt quæ propoſitiones,	vtque propoſit.
Ff 2.	proponendi nobis noſtrum reſponſum, quæ ſcripta,	proponendi noſtrum reſponſum, quæ ſumpta.
	Delata eſt Seſsio,	dilata eſt ſeſsio
Ff 2. p. 2.	Tam præliminarium,	tum præliminarium.
Gg 2. l. vlt:	expreſsa ſint,	expr: ſit
Gg 4	Ad præſcriptum prox:	Ad Scriptum proximum.
l. penult:	vt ros,	vt res.
lin: vlt:	condeſcendendo tum auth:	condeſcend: tamen authoritati.

Digitized by Google